MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80262-12

AUTHOR:

STALLBAUM, GOTTFRIED

TITLE:

MUSICA EX PLATONE SECUNDUM LOCUM...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1846

Master Negative #
91-80262-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stallbaum, Gottfried, 1793-1861.
Musica ex Platone secundum locum Legg. vii, p. 712. Programma quo examen publicum discipulorum scholae Thomanae... instituendum atque orationes... habendas rite indicit... Godofredus Stallbaumius... Lipsiae, literis Staritzii, 1846.
46 p. 23 cm.


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/17/91   INITIALS: RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202















SIGILLUM COLLEGII COLUMBIÆ NOVI EBORACI.
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN

MUSICA EX PLATONE

SECUNDUM LOCUM LEGG. VII. P. 712.

PROGRAMMA

QUO

EXAMEN PUBLICUM DISCIPULORUM

SCHOLAE THOMANAE

DIEBUS XX. XXI. ET XXII. M. APRILIS

HORIS ANTEM. VIII—XI. ET POMER. II—V.

INSTITUENDUM

ATQUE

ORATIONES ALIQUOT IUVENUM

IN ACADEMIAM DISCEDENTIUM

DIE XXIV. M. APRILIS HOR. IX. ANTEM.

HABENDAS

RITE INDICIT

ET

AD UTRAMQUE SOLEMNITATEM CONCELEBRANDAM

SCHOLAE PATRONOS AC FAUTORES

OMNI QUA DECET OBSERVANTIA ET PIETATE

INVITAT

GODOFREDUS STALLBAUMIUS

RECTOR.

LIPSIAE, 1846.

LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

Veterum Graecorum ars et doctrina musica quum nostra aetate multis multorum studiis accuratius pervestigata atque illustrata sit, tamen, si verum fateri volumus, magnam certe partem etiamnunc tantis premitur difficultatibus tantisque involuta iacet tenebris, ut vel ea, quae certius explorata haberi nostra plurimum intersit, non modo dubia et incerta, sed plane obscura et ignota esse putari debeat. Nam sive quaerimus de magna illa planeque admirabili vi et potentia, quam ars nobilissima in movendis flectendisque hominum animis et in moribus populorum vel ad humanitatem conformandis vel ad mollitiem et nequitiam depravandis habuisse narratur; quae ea de re ab auctoribus fide dignissimis, Aristotele, Platone, Plutarcho, Athenaeo, aliis, memoriae prodita sunt, ea nos certe fatendum est non tam clare perspecta habere et ex artis rationibus iudicare posse quam incredulos stupere solere insciosque mirari. Sive cogitamus de praesidiis et adiumentis, quorum ope veteres ad tam egregiam sollertiae laudem ac praestantiam, qualis fuisse perhibetur, pervenerint, nec instrumenta musica ipsis usitata accuratius novimus, nec artem rationemque, quam in sonis temperandis et modis faciendis adhibuerunt, ita iam tenemus, nihil ut amplius dubitationis his de rebus supersit, siquidem adeo illud adhuc dubium est et controversum, num et quatenus illi cantum complurium vocum noverint et celebraverint. Sive denique rationem usumque carminum musicorum spectamus quaerimusque de necessitudine illa, qua ista omnia cum poësi, saltatione, ceteris artibus,

fuerint iuncta et consociata, etiamsi de harmoniis earumque generibus ad varia consilia attemperatis aliisque id genus rebus non pauca tradita accepimus adeoque de nativa variorum cantuum indole et virtute satis multa edocemur, tamen nec hoc in genere tantum est profligatum, quantum iure meritoque optare posse videaris, si quidem recte sperare liceat futurum esse, ut, si istarum rerum uberior nobis suppeteret aliquando cognitio, magna exinde quum ad alias antiquitatis partes tum inprimis ad poesin lyricam rectius aestimandam atque tractandam redundaret utilitas. At enim vero mirandum profecto minime est, quod vel in acerrimis illis fervidissimisque studiis veteris musicae accuratius cognoscendae et explorandae, qualia nuper exarserunt, usque permansit molesta ista rerum gravissimarum ignoratio. Nam quum rerum musicarum usus, qui apud veteres viguit, apud nos iam inde a multis saeculis paene interierit, ut fere nulla amplius eius vestigia superesse videantur, tum etiam pauca admodum sunt et exigua, quae ii scriptores, qui dedita opera de antiqua musica exposuerunt, scriptis suis accuratius exposuerunt. Quippe illi plerique omnes non omnem universae artis ac disciplinae ambitum disputationibus suis complexi sunt, sed singulas tantum partes tractaverunt; in quo iniquo prope fato etiam accidit sic, ut plurimi sese in eodem campo iactarent, nec vero alius aliud argumentum sibi illustrandum sumeret. Etenim Aristoxenus quidem, Euclides, Gaudentius, Claudius Ptolomaeus et Porphyrius, itemque Nicomachus, Iamblichus et Bryennius sese fere intra fines mathematicae de rebus musicis doctrinae continuerunt, nihilque tractarunt aliud, quam harmonicam, qualem veteres dicebant, hoc est, eam universae disciplinae partem, quae est de sonis musicis, de sonorum intervallis deque variis eorundem cum singulorum tum iunctorum rationibus; alia vix leviter attigerunt. Aristides autem, Quintilianus, Theo Smyrnaeus, Alypius, Bacchius et Psellus, etsi habent quae ad omnem artis rationem et doctrinam pertineant, tamen in singulis, quae tractant, iusto sunt breviores, ut totam artem, omissis tamen item partibus quibusdam, compendiariae brevitatis angustiis concludere voluisse

videantur. Nec vero quis recte expectaverit uberiora aut illustriora a Plutarcho, qui et ipse de musica peculiarem libellum scripsit, aut a Philodemo, cuius liber quartus περὶ μουσικῆς recens inventus ex voluminibus Herculanensibus nuper in lucem protractus est. Nam Plutarchus quidem fere nihil nisi vim moralem artis musicae illustrat; Philodemi autem opusculum tantum abest ut ad ipsam artem musicam referatur, ut nihil contineat nisi disputationem Epicurei philosophi cuiusdam adversus Diogenem Stoicum, qui maximam esse contendit musicae in animo ad virtutem et probitatem conformando vim et efficaciam.

Atque haec quum ita se habeant, facile apparet, plurimas sane easque gravissimas musicae antiquae partes plane obscuras et occultas futuras esse, nisi praeter musicos illos scriptores, quos habemus superstites, etiam alii, Plato, Aristoteles, Athenaeus, Plutarchus, Maximus Tyrius, Polybius, Cicero, Quintilianus, Boethius, quantumvis illi alia omnia agentes, quae ad idem argumentum pertinent, subinde memoravissent. Nimirum isti quidem supplere quodammodo videri debent, quae ab artis magistris, qui id unum egerunt, vel tanquam trita et vulgaria vel propter alias caussas neglecta sunt. Verum enim vero hoc ipsum quoniam illi fere casu fortuito aut per occasionem ita fecerunt, facile intelligitur, ne sic quidem ea nobis a veteribus scriptoribus tradita esse, quae ad pleniorem artis rationisque musicae antiquae scientiam comparandam vel mediocriter sufficiant. Desiderantur enim profecto plurima, quae scitu dignissima videri debent iis, qui illam plane velint mente complecti animoque suo percipere.

Nec tamen ullo modo inficiandum est, operae pretium facere eos, qui, quae ab his passim litteris perscripta sunt, sedulo investigare, colligere et examinare instituant. Nam quum ita aliquid profici posse videatur ad locupletandam augendamque musicae antiquae cognitionem, tum ea res valet etiam plurimum ad multos veterum scriptorum locos vel rectius intelligendos vel subtilius interpretandos. Id quod data hac scribendi occa-

sione exemplo aliquo patefacere et declarare constituimus. Interpretari enim animum induximus locum celeberrimum Platonis, qui legitur Legg. VII. p. 812. B—E. ed. Steph. Qui quum ipse luce interpretationis vel maxime indigeat, ut perquam varia et diversa expertus sit virorum doctorum iudicia, tum etiam ita comparatus est, ut, ubi fuerit satis dilucidatus, aliquid ad removendas dubitationes quasdam de antiqua musica inprimisque de complurium vocum concentu veteribus usitato commotas conferre posse videatur.

Quo rectius autem faciliusque loci istius sententia percipiatur, faciendum videtur, ut ante omnia paucis exponamus, quanam ille necessitudine et coniunctione cum universa Platonis disputatione cohaereat. Quo facto ad ipsum propius accedemus sic, ut singulas eius dictiones atque sententias ordine deinceps lustremus atque examinemus. Ita futurum speramus, ut quum Platoni nostro aliquid desideratae lucis admovisse, tum etiam ad dilucidandam artis historiam nonnihil contulisse videamur.

Itaque primum quidem paucis indicabimus, quomodo locus ille, de quo nunc agitur, cum reliqua Platonis disputatione cohaereat. De qua re haec monuisse iuvabit.

Disputat philosophus septimo Legum libro de educatione et institutione iuventutis enumeratque artes, quibus pueri ingenui formari debeant, siquidem aliquando liberalioris atque humanioris doctrinae et eruditionis participes sint futuri. Quod dum agit, identidem etiam, sicuti consentaneum est, ad artis musicae studium defertur. Id quod fit inprimis etiam p. 812. B. sqq. ita quidem, ut ibi simul omnis puerilis institutionis ambitus verbis paucissimis describatur et quid quaque aetate discendum sit breviter significetur. Itaque philosophus primum quidem pueros decem annos natos per triennium operam dare iubet grammatistae, qui ipsos litterarum et legendarum et scribendarum artificium doceat. Deinde eosdem vult inde ab anno aetatis tertio decimo per alios tres annos eodem illo duce et magistro lyrae et poesis studio vacare, quo loco tanquam

per occasionem saluberrima traduntur praecepta de vitanda nimis varia et multiplici lectione, utpote puerilibus ingeniis perquam noxia et perniciosa, quae quidem praecepta digna sunt, quae hodie quoque diligentius expendantur. Tum vero, ubi de litterarum studiis et grammatistarum opera expositum est, citharae et saltationi locum assignat suum. Quibus omnibus denique succedere vult gymnasticam atque exercitationes cum ea coniunctas. Nimirum accommodavit Plato haec omnia, quae de educatione iuventutis exposuit, quantum fieri potuit, communi Atheniensium mori et consuetudini, sicuti facere solet in Legum civitate, quam non tanquam perfectum aliquod reipublicae exemplar informavit, quale nusquam terrarum reperiretur, sed ita ad vitae veritatem comparavit, ut inde verarum civitatum emendandarum rationem repetere liceret. Solebant enim ab Atheniensibus et aliis quibusdam Graeciae populis tres potissimum institutionis puerilis partes discerni, *γράμματα*, *litterae*, *μουσική*, quae simul complectebatur artium liberalium inprimisque poësis studium, denique *γυμναστική:* id quod praeclare docet egregius ille locus Protagor. p. 325. D. sqq. ex quo uno facili negotio totum illud institutionis tanquam iter cognoscas; pluribus autem si quis rem sibi demonstrari et explicari cupiat, satis erit, opinor, adiisse WYTTENBACHIUM ad Plutarch. De educat. puer. Prolegg. p. 57 sqq. ed. Oxon. p. 7. ed. Lips. Haec igitur dum ita exponit philosophus, post grammatistam, qui pueros litterarum elementa docebat, deinceps ad citharistam transgreditur orditurque explicatius dicere de recta ratione institutionis puerorum musicae. Proponit enim inter alia duplicem praeceptionem, e cuius diligenti observatione felicem huius institutionis ac disciplinae successum maxime pendere arbitratur. Nam primum quidem cantus vult non alios a pueris condisci, quam qui rei peritis et natu maioribus diuturniore usu probati fuerint. Deinde vero viam et rationem institutionis omnem censet quam maxime simplicem esse oportere atque talem, quae prorsus aspernetur vulgaria illa musicorum et organicorum artificia, quibus modi simpliciores tanquam variegentur callideque exornentur.

Atque hic ipse locus est, quem pro viribus explicare et illustrare conabimur. Quod quo facilius possit ab omnibus intelligi et iudicari quomodo facturi simus, utramque philosophi praeceptionem seorsum tractabimus praemissis ipsis verbis Platonis, qui ibi hospitem quendam Atheniensem cum Clinia Cretensi fecit colloquentem. Itaque prior loci particula, de qua nobis disserendum erit, haec est:

ΑΘ. Ἆρ᾽ οὖν οὐ μετὰ τὸν γραμματιστὴν ὁ κιθαριστὴς ἡμῖν προςρητέος; ΚΛ. Τί μήν; ΑΘ. Τοῖς κιθαρισταῖς μὲν τοίνυν ἡμᾶς δοκῶ τῶν ἔμπροσθεν λόγων ἀναμνησθέντας τὸ προςῆκον νεῖμαι τῆς τε διδασκαλίας ἅμα καὶ πάσης τῆς περὶ τὰ τοιαῦτα παιδεύσεως. ΚΛ. Ποίων δὴ πέρι λέγεις; ΑΘ. Ἔφαμεν, οἶμαι, τοὺς τοῦ Διονύσου τοὺς ἑξηκοντούντας ᾠδοὺς διαφερόντως εὐαισθήτους δεῖν γεγονέναι περί τε τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰς τῶν ἁρμονιῶν συστάσεις, ἵνα τὴν τῶν μελῶν μίμησιν τὴν εὖ καὶ τὴν κακῶς μεμιμημένην, ἐν τοῖς παθήμασιν ὅταν ψυχὴ γίγνηται, τά τε τῆς ἀγαθῆς ὁμοιώματα καὶ τὰ τῆς ἐναντίας ἐκλέξασθαι δυνατὸς ὤν τις τὰ μὲν ἀποβάλλῃ, τὰ δὲ προφέρων εἰς μέσον ὑμνῇ καὶ ἐπᾴδῃ ταῖς τῶν νέων ψυχαῖς, προκαλούμενος ἑκάστους εἰς ἀρετῆς ἕπεσθαι κτῆσιν συνακολουθοῦντας διὰ μίμησιν.

Haec igitur verba Platonis ita explanare conabimur, ut et singula lucem accipiant suam, et tota sententia quorsum referenda sit, denique quam clarissime appareat. In qua tamen explicatione, quantum quidem fieri poterit, consulemus brevitati, quandoquidem uberiorem sibi deposcet explicationem posterior loci pars, ad quam illustrandam postea aggrediemur. Quamquam ne haec ipsa quidem suis quibusdam caret difficultatibus, quae subinde uberiorem desiderabunt orationem.

Quod igitur post grammatistam dicitur adeundus esse citharista, convenit hoc, sicuti iam antea significavimus, cum moribus et institutis Atheniensium planissime, ut neutiquam existimandum sit, Platonem hic novum quiddam aut insolens esse commentum. De qua re praeter locum Protagor. p. 325. E. et 326. A. v. etiam Aristoph. Nubb. v. 961 sqq. et 969.

ibique intpp. Iam vero hisce artis musicae magistris Atheniensis ille, qui loquens inducitur, recte censet tributum iri quod ipsis conveniat munus et officium, si colloquentes bene meminerint eorum, quae in superioribus ea de re sint explicata. Nam ita verba interpretanda esse, res ipsa loquitur, nihilque viderunt, qui *νεῖμαι* aoristum ad tempus praeteritum designandum valere iudicaverunt. Enimvero manifestum est significari eam rem, quae nondum perfecta sit, sed fieri adhuc debeat, ut profecto infinitum istud *νεῖμαι* futuro tempore declarandum sit. Nec vero ea loquendi ratio est inaudita, de qua praeter alios exposuerunt Schaefer ad Long. p. 273. et 406. ad Theocrit. p. 227. Wunderlich. Obss. critt. ad Aeschyl. p. 177 sqq. Prolegg. ad Demosth. De coron. p. XV. Astius ad Remp. p. 481. et quos laudavimus ad Phaedon. p. 67. B. ubi v. ann. ad Cap. XII. in. Sed haec quasi in transcursu, ne quam erroris opportunitatem reliquisse videamur. Censet igitur Atheniensis, qui oratoris personam sustinet, citharistis munus et officium suum recte prudenterque demandatum iri, si quae antea disputata sint in simili caussa, ea nunc diligenter ab ipsis teneantur atque observentur. Quibus verbis quorsum respiciatur, videtur interpretes plane praeteriisse, quippe qui omnes ea de re egregie tacent. Nimirum locus, quem orator ob oculos habuit, neutiquam in vicinia quaerendus fuit, sed in parte operis paullo remotiore. Extat enim in libro secundo p. 664. A sqq. unde ea potissimum, quae leguntur p. 669. E sqq. et 670. B. huc revocanda sunt. Quippe habet sane amplissimum Legum opus hoc sibi proprium, quod legentes saepenumero in prioribus libris ad posteriores ac vicissim in his ad illos delegantur. Quod mirandum est ab iis neglectum esse, qui nuper operis auctoritatem adversus inauspicatos quosdam impetus defendere conati sunt. Neque enim eius rei animadversio inutilis est ad aestimandam iudicandamque operis fidem et integritatem. Itaque illo, quem diximus, loco quum omnino de choris in nova civitate constituendis, tum imprimis etiam de choro Baccho sacro eoque ex viris aetate provectioribus composito disseritur, ostenditurque copiosius, quam-

nam ille artis musicae peritiam et facultatem nactus esse debeat. Quod ubi fit, praeter alia etiam haec enuntiantur: *τῶν γὰρ ῥυθμῶν καὶ τῶν ἁρμονιῶν ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐστὶν εὐαισθήτως ἔχειν καὶ γιγνώσκειν· ἢ πῶς τις τὴν ὀρθότητα γνώσεται τῶν μελῶν, ᾧ προςῆκεν ἢ μὴ προςῆκε τοῦ Δωριστὶ καὶ τοῦ ῥυθμοῦ, ὃν ὁ ποιητὴς αὐτῷ προςῆψεν, ὀρθῶς ἢ μή;* h. e. ***qui curet vel etiam non curet harmoniam Doriam atque rhythmum, quem poëta adhibuit, utrum recte se habeat necne?*** Quae manifesto hic iterantur verbis: *τοὺς τοῦ Διονύσου τοὺς ἑξηκοντούτας ᾠδοὺς διαφε- ρόντως εὐαισθήτους δεῖν γεγονέναι περί τε τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰς τῶν ἁρμονιῶν συστάσεις:* ut profecto dubitari nullo modo possit, quin nunc ratio illius loci habeatur, quem antea significavimus. Iam vero his ita exploratis pergimus ad proxima: *ἵνα τὴν τῶν μελῶν μίμησιν τὴν εὖ κ. τ. λ.* quibus apparet caussam declarari, ob quam Bacchicos choreutas deceat harmonias atque numeros quam acutissime sentire ac percipere. Ea autem verba quoniam impeditiora sunt propter constructionis insolentiam, de hac ipsa, priusquam ad sententiam eorum explicandam progrediamur, aliquid monuisse iuvabit. Enimvero diligenter in his animadvertendum est, post *τὴν τῶν μελῶν μίμησιν τὴν εὖ καὶ τὴν κακῶς μεμιμημένην*, deinde per epexegesin subiungi haec: *τά τε τῆς ἀγαθῆς ὁμοιώματα καὶ τὰ τῆς ἐναν- τίας.* Cuius iterationis opportunitatem dederunt verba interiecta: *ἐν τοῖς παθήμασιν ὅταν ψυχὴ γίγνηται.* Atque hoc tenentibus nobis dubium non videbitur, quin ad *τῆς ἀγαθῆς* et *τῆς ἐναντίας* neutiquam *μιμήσεως*, sed potius *ψυχῆς* intelligendum relinquatur. Quocirca sententia verborum haec est: ***ut bonam pariter atque pravam imitationem, quando animus affectibus movetur, hoc est, vel boni animi simulacra vel etiam pravi imagines et imitatio- nes quisque*** (choreutarum) ***possit discernere*** (nam *ἐκλέξασθαι* paullo licentius dictum est pro *διακρίνασθαι*, utpote bonorum tantum habita ratione) ***ideo- que prava reiiciat, bona autem in medium afferat et tamquam incantamenta quaedam adolescentium animis adhibeat, incitans eos et cohortans, ut ad vir- tutis possessionem contendant per imitationem sequentes et ad eam eluctantes.***

Iam vero haec omnia ubi uno quasi mentis obtutu contuemur, certe obscurum non poterit esse cuiquam, quorsum ea denique redeant. Etenim significatur choreutas Bacchicos antea indicatum esse excellere debere acriore quodam rhythmorum et harmoniarum sensu, quo possint rectius et facilius animi aut bene aut male morati imitationes discernere, ideoque idoneo cantuum delectu instituto ea canere, quae bona et honesta sint, quo iuvenum animi, talibus cantibus tanquam incantationibus quibusdam deleniti, ad acerrimum virtutis studium incendantur atque inflammentur. Atque hoc ipsum quoque planissime convenit cum argumento loci Libr. II. p. 669. E—670. E., quem antea dicebamus Platoni hic ob oculos versatum esse. Nam ibi quoque viri atque senes, qui chorum Baccho sacrum constituunt, in percipiendis iudicandisque sonorum numeris et concentibus dicuntur maxime exercitati esse debere, ut quum imitationis veritatem recte intelligant, tum in canendo prudenter deligant, quae non modo animis audientium ingenuam et honestam oblectationem afferre possint, verum etiam ad augendam confirmandamque civium, inprimis iuniorum, virtutem et honestatem conducant.

Atque haec quum iam certa et explorata habeamus, utroque loco philosophum apparet statuisse, in delectu carminum musicorum habendo diligentissime rationem ducendam esse virtutis et honestatis; quod ipsum inprimis etiam citharistis in puerorum institutione observandum et sequendum esse iis verbis praecipit, quae modo per partes accuratius lustravimus. Nimirum constans utique fuit Platonis sententia, quum omnis omnino artis tum imprimis etiam musicae usum ad unam maxime virtutem attemperari oportere, ad quam quidem ex artis humanissimae exercitatione tanto maiorem censuit redundare posse utilitatem, quod ipsa virtus quoque animi quadam harmonia contineretur, si quidem nemo eius esset particeps, in quo non perfectus quidem sensorum, cogitatorum et adpetituum concentus reperiretur. De qua ipsius sententia v. imprimis Tim. p. 47. D. De Rep. III. p. 399. E. p. 401. A. Protagor. p. 326. B. Itaque voluit illam non ad ciendos molliores aut vehementiores animorum affectus, non ad aures et

sensus titillandos, non denique ad excitandam voluptatis iucunditatem et suavitatem adhiberi, sed hac una tantum lege coli atque exerceri, ut nutriendo et excitando veri, boni et pulcri studio inserviret; de quo v. Reip. III. p. 398. D sqq. Legg. II. p. 669. C sqq. al.; in iuventute autem erudienda iussit numeros et cantus usurpari eos, per quos, sicuti ait Reip. III. p. 401. A. *εὐσχημοσύνη, εὐρυθμία, εὐαρμοστία σώφρονός τε καὶ ἀγαθοῦ ἤθους ἀδελφά τε καὶ μιμήματα* generarentur. Quod vero una maxime imitationis observandae et iudicandae sollertia illud effici posse arbitratus est, id etsi alicui mirum accidat, tamen facilem habet explicationem, ubi sententiam ipsius de artis musicae indole ac natura recordati fuerimus. Habuit enim illam inter artes imitatrices, adeoque omnem eius laudem ac praestantiam in bonorum et laudabilium morum et ingeniorum artificiosa adumbratione et repraesentatione sitam esse censuit. De qua re quum alibi tum inprimis Legg. II. p. 654. B. — 655. B. et 666. D. — 668. D. copiosius disserit. Nam altero quidem loco docet, veram musicae artis laudem non aliter comparari nisi sic, ut res, quae imitatione exprimantur, magnitudini et virtuti suae convenienter tanquam effingantur, siquidem omnia artis musicae opera boni demum et pulcri imitatione absolvantur. Illic autem fere haec disputat: „Cavendum est, inquit, magnopere, ne belle et venuste canere aut saltare idem putemus esse, quod pulcre et bene. Pulcrum enim in saltatione et cantu nihil est aliud, nisi illud unum, quod animi corporisve virtutem aliquam exprimit ac veluti repraesentat; turpe autem videtur, quidquid corporis aut animi turpitudinem refert.“ Haec igitur qui Platonem meminerint de artis musicae natura et dignitate sensisse, ii non iam ullo modo dubitabunt, quorsum denique pertineant aut quomodo intelligenda sint, quae hoc Legum loco de cantibus musicis in puerorum institutione caute deligendis ab eo disputata sunt. Quocirco his utcunque expositis dehinc nobis transire licebit ad alteram illam disputationis partem, quae cum superioribus argumenti cognatione arctissime cohaeret.

Posteaquam enim philosophus de carminum musicorum delectu exposuit, pergit deinceps explicare de via et ratione, qua pueri in illis condiscendis instituendi et erudiendi sint. Verba ipsius haec sunt:

Τούτων τοίνυν δεῖ χάριν τοῖς φθόγγοις τῆς λύρας προςχρῆσθαι σαφηνείας ἕνεκα τῶν χορδῶν τόν τε κιθαριστὴν καὶ τὸν παιδευόμενον, ἀποδιδόντας πρόςχορδα τὰ φθέγματα τοῖς φθέγμασι· τὴν δὲ ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας, ἄλλα μὲν μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τοῦ τὴν μελῳδίαν ξυνθέντος ποιητοῦ, καὶ δὴ καὶ πυκνότητα μανότητι καὶ τάχος βραδυτῆτι καὶ ὀξύτητα βαρύτητι ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον παρεχομένους, καὶ τῶν ῥυθμῶν ὡςαύτως παντοδαπὰ ποικίλματα προςαρμόττοντας τοῖσι φθόγγοις τῆς λύρας, πάντα οὖν τὰ τοιαῦτα μὴ προςφέρειν τοῖς μέλλουσιν ἐν τρισὶν ἔτεσι τὸ τῆς μουσικῆς χρήσιμον ἐκλήψεσθαι διὰ τάχους· τὰ γὰρ ἐναντία ἄλληλα ταράττοντα δυςμαθίαν παρέχει.

Usi hoc Platonis loco certatim sunt, qui quaesiverunt curiosius, fueritne apud veteres Graecos et Romanos usitatus plurium vocum cantus atque concentus ex continua distinctorum sonorum modulatione oriundus; sed ita usi sunt, ut alii eum aliter interpretati sint, prouti quisque hanc vel illam sententiam defenderet. Id quod satis testabuntur quum aliorum disputationes, tum inprimis commentationes Rochefortii; Fragiuerii et Buretti, quae insertae leguntur Comment. Academ. Inscript. Parisin. Vol. III. Vol. VIII. Vol. XXVII. item XXXV. et XLI. p. 36. sqq., quibus addas Forkelium Hist. Music. Vol. I. p. 399. sqq. et quae nuper exposuit de Muenchovius in libro: *Jahrbücher der Preussischen Rheinuniversität,* Vol. I. Fascic. IV. p. 356. sqq. Nos, quid rei sit, suo loco videbimus; constituimus enim nunc non de hac una potissimum re agere, sed universum Platonis locum pertractare. In quo rursus ita versabimur, ut tam verborum quam rerum curam geramus, siquidem alterutro neglecto omnem explicationem incertam existere prorsus est necessarium. Accedamus igitur ad singulorum examen, quo denique quam clarissime appareat, quidnam illud sit, quod Plato hic docere ac praecipere voluerit.

Et principio quidem Atheniensis, qui oratoris munere fungitur, haec fere dicit: *Iam vero horum gratia* (de quibus antea dictum est) *oportet, tanquam adiumento quodam, lyrae sonis uti propter chordarum claritatem tam citharistam, quam discipulum, ita quidem, ut consonas voces vocibus consonis attribuant atque iungant.* Quae, si quid video, ita intelligenda sunt, ut cogitandum sit de illa cantus congruentia, quam nostri vocant *Einklang*, Graeci ὁμοφωνίαν dixerunt. Id enim et verba opposita, ἑτεροφωνία καὶ ποικιλία τῆς λύρας, evincunt, de quibus mox explicabitur, et formula loquendi: ἀποδιδόναι πρόςχορδα τὰ φθέγματα τοῖς φθέγμασι, satis certo arguit. Etenim haec quidem nihil significare potest aliud nisi hoc: *voces vocibus reddere s. respondere inter se iubere, ita ut sint utrinque consonae.* Nimirum lyrae cantum consentaneum est voci canentis respondere ac vicissim. Quae interpretatio eo est certior, quod πρόςχορδα non modo est *chordis consona, ad chordas convenientia*, sed omnino *consona*, ut ne ad zeugmatis quidem figuram confugiendum sit; φθέγματα autem nihil aliud significat quam antegressum φθόγγοι, quod constat usurpari omnino de *sonis et vocibus musicis (Klang, Ton)*; unde Aristoxen. p. 15. et Gaudentius p. 3. φθόγγον interpretantur φωνῆς πτῶσιν ἐπὶ μίαν τάσιν, et Aristid. p. 9. φωνῆς ἐμμελοῦς μέρος ἐλάχιστον. In hoc vero cantandi negotio tanquam utilissimus commendatur lyrae usus propter chordarum claritatem. Quod fortasse alicui mirum accidat, quoniam citharistam potius cithara quam lyra decere videatur. Et fuit certe teste Aristide Quintil. De Musica p. 101. et Platone De Rep. III. p. 399. C. aliquod utriusque discrimen, de quo exposuerunt Scaliger. ad Manil. V. 318. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del. v. 253. Perizonius ad Ael. Varr. Hist. III. 32. Gesnerus ad Orphei Argonaut. v. 380. et Forkel. Histor. Mus. Vol. I. p. 200 sq. qui sua hausit ex Buretto Mem. Acad. Inscr. T. IV. p. 116 sq. At nimirum meminisse debemus usum utriusque instrumenti adeo fuisse promiscuum, ut non modo ab inferioris aetatis scriptoribus sed etiam ab antiquioribus alterum pro altero commemoretur. Cuius

rei illustre exemplum extat in Aristophan. Nubb. v. 1360. de quo legendus est Spanhem. Commentar. Lips. Vol. II. p. 435. extat item apud Platonem Euthydem. p. 289. C. ubi posteaquam de discrimine τοῦ τε ποιεῖν τι καὶ τοῦ ἐπίστασθαι χρῆσθαι τούτῳ, ὃ ἄν τις ποιῇ, explicatum est, deinceps subiungitur exempli causa: ἡ γὰρ λυροποιϊκὴ καὶ ἡ κιθαριστικὴ πολὺ διαφέρετον ἀλλήλοιν: ut manifestum sit, ibi altero nomine artem lyra canendi, altero artem lyras conficiendi significari. Quocirca Hesychius: Λύρα· κιθάρα. ac vicissim Suidas: Κιθάρα· ὄργανον μουσικόν, ἡ λύρα; recte quidem uterque. Itaque his omnibus explanatis apertum esse putamus, commendari a philosopho hanc rationem, ut citharista cantibus ab eo, qui modos fecerit, praescriptis et a puero discendis consonos plane et congruentes adiungat lyrae cantus, quo certius ac facilius ab hoc rhythmi et harmoniae condiscantur penitusque animo hauriantur.

Pergimus igitur ad proxima, quibus describuntur musicorum artes illi institutionis ac disciplinae simplicitati contrariae; quas quidem philosophus vult in pueris ad artem musicam erudiendis prorsus evitari. Enimvero coeperat omnino ars musica Platonis aetate a pristina simplicitate sua mirum quantum degenerare quum alias ob caussas, tum etiam ideo, quia artifices, qui eam factitabant, studiose quam maximam cantuum, hoc est, rhythmi pariter atque harmoniae, varietatem quaeritabant, quo magis scilicet titillandis auribus inserviretur audientium voluptati. De qua re Plato iuxta cum aliis identidem graviter conqueritur, veluti De Rep. VI. p. 493. A. sqq. Gorg. 501. E. g. 502. B. Legg. II. p. 655. D. Itaque neutiquam est mirandum, quod etiam ad puerilem institutionem traducta sunt istiusmodi artificia. Quae qualia fuerint quoniam hoc loco accuratius edocemur, verba profecto dignissima sunt, quae expendantur quam diligentissime.

Hoc autem ut certa ratione fieri possit, expedienda ante omnia rursus perplexior et intricatior verborum constructio est, quippe quae mire est ἀνακόλουθος. De qua si nostram requiris sententiam, rem paucis

ita explicandam arbitramur. Etenim quum manifestum sit principalem universae periodi partem esse hanc: *τὴν δὲ ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας — μὴ προςφέρειν τοῖς μέλλουσιν κ. τ. λ.*, nemo est quin videat, quae media interiecta sunt: *καὶ δὴ καὶ πυκνότητα — προςαρμόττοντας τοῖς φθόγγοις τῆς λύρας*, non ita enuntiata esse, ut flagitabat instituti sermonis ratio. Nimirum debebat certe post *ἱεισῶν* et *ξυνθέντος τοῦ ποιητοῦ* aut rursus genitivus absolutus poni, aut, quae Astii est sententia, illato casu obiecti, pergi hoc modo: *καὶ δὴ καὶ τὸ πυκνότητα — παρέχεσθαι καὶ — ποικίλματα προςαρμόττειν.* At enim vero deseruit scriptor inchoatam sermonis structuram posuitque praeter expectationem accusativum *παρεχομένους* et *προςαρμόττοντας*, utpote iam cogitans de insequenti infinitivo *μὴ προςφέρειν*, cui pro accusativo obiecti insolentiore orationis enallage casum subiecti adiunxit. Quo facto denique rursus revertitur ad constructionem superiorem, quandoquidem filum sermonis interruptum dein pertexitur inde a verbis: *πάντα οὖν τὰ τοιαῦτα κ. τ. λ.*, ubi patet *οὖν* epanalepsis indicium facere, ista autem: *πάντα οὖν τὰ τοιαῦτα κ. τ. λ.* respicere ad ea omnia, quae antea tanquam minus utilia aut non ferenda in puerili institutione notata et reprehensa sunt. Haec igitur est loci difficilioris quasi compages atque structura, qua explorata demum tutius dehinc licebit ad singularum partium considerationem ac diiudicationem accedere.

Opponit igitur scriptor sicuti manifestum est, *ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας*, *diversitatem et varietatem lyrae*, eius cantus rationi, qui sonos lyrae cum modis musicis puero praescriptis plane habet congruentes, idque facit sic, ut ante omnia universe indicetur, ex quonam fonte illa sonorum varietas et discrepantia proficiscatur. Pertinent huc illa: *ἄλλα μὲν — τοῦ τὴν μελῳδίαν ξυνθέντος ποιητοῦ.* Quae quidem verba eo diligentius sunt rimanda et expendenda, quod eorum explicatio tanquam viam et aditum patefacere videtur ad reliqua penitus perspicienda. Et ipsa quidem per se spectata habent sane explicationem facillimam,

ut nullam plane legentibus obiiciant difficultatem. Nam ad *τοῦ ποιητου* nemo erit quin largiatur ex antegresso *ἱεσῶν* nullo negotio intelligi licere *ἱέντος*, quod sane recta ratio postulat. *Poeta* autem iste si quaeritur quis aut qualis sit, non est profecto alius intelligendus, quam qui modos musicos fecit atque canticum sive melos composuit, prorsus ut Legg. II. p. 670. E. Ad quem usum loquendi patefaciendum et declarandum ne opus quidem est ut ad illa confugiamus, quae scripsit Cicero De Orat. III. 44. *Musici, qui etiam quondam iidem poëtae;* quandoquidem *ποιητής* et *ποιεῖν*, latiore usu vocabuli, omnino dicitur de iis, qui in artibus atque litteris aliquid vi proprii ingenii atque liberiore mentis animique motu procreant; unde etiam de prosae orationis scriptoribus usurpari meminimus. v. Dorvill. ad Chariton. p. 289. et Astius ad Plat. Phaedr. p. 142. A. 236. D. Itaque apertum est hoc dicere Atheniensem, qui sustinet partes orantis: *discordiam autem sonorum et varietatem exinde orientem, quod alios cantus chordae emittunt, alios fundit poëta, qui modulos composuit, non decet adhibere in instituendis iis, qui tribus annis musicam, quoad ipsis conducat, celeriter percepturi sint.* At enim vero etsi haec verborum explicatio tam certa videtur esse quam quod est certissimum, tamen de re ipsa facile ambigas. Nam quo tandem modo arbitrabimur fieri potuisse, ut aliter caneret lyra, alios cantus funderet modorum musicorum auctor? Nimirum id quidem apparet non una ratione potuisse effici; unde fuerunt etiam non pauci, qui cantum figuratum, quem nostri dicunt, nunc significari contenderent, adeoque hinc colligerent, continuum plurium vocum inter se consonantium concentum veteribus Graecis utique notum et usitatum fuisse. Itaque difficilior sane huius rei diiudicatio est. Nec tamen adeo ea videtur difficilis, ut res expediri prorsus nequeat. Plura enim suppetunt verae rationis investigandae atque reperiendae praesidia et adiumenta. Nam primum quidem meminisse debemus, disputari de puerorum institutione, quandoquidem philosophus in ea vitari iubet, quae vulgo videntur perquam usitata fuisse. Quocirca apertum est cogitari oportere de

artificioso quidem aliquo sed eodem tamen simpliciore citharistae concentu, quo tironum cantantium vox tanquam adiuta et sustentata sit, nec vero de continuo quodam cantu vocum complurium inter se per omnia disiunctarum planeque separatarum. Deinde iuvabit tenuisse legem illam, interpretationis omnis prudentissimam moderatricem, quae vetat, ne nova et inaudita aut dubia et incerta obtrudamus scriptoribus, quamdiu ipsorum verba ex iis habeant idoneam explicationem, de quibus iam aliunde constet. Etenim congruentiam illam vocum ac sonorum artificialem, quam nostri vocare solent harmonicam, Graecis notam fuisse, nullis testimoniis, quae quidem certa sint, evinci aut demonstrari potest; de qua re infra dicemus explicatius. Quamobrem eam ne hic quidem significari verisimile est, siquidem alia in promtu habeatur verborum interpretatio. Ea vero parata est satis probabilis, et quidem talis, quae et concentum citharistae, quamvis artificiosiorem, tamen puerili institutioni convenientem fuisse clarissime patefaciat, nec vero ceteris historiae testimoniis aut ipsis scriptoris verbis reluctetur. Nam, ut rem paucis comprehendamus, videntur pueri musica discentes, sicuti rei naturae convenit, legem modorum musicam a poëta praescriptam pressius esse sequuti, aut simpliciorem illam a magistris accepisse, quum fidicini hoc esset datum, ut ab simpliciore illa formula cantu suo passim recedere atque modos multiplici ratione variare et artificiosius exornare liceret. Quod si ita fuit, magister, qui lyra succinebat, non modo formulam cantici ac melodiam tractabat liberius, ita tamen ut cantum pueri simul regeret et adiuvaret, verum etiam, dum ita faciebat, passim admiscebat et quasi attemperabat varios ac diversos sonos, qui pueri vocibus per intervalla quaedam responderent ideoque subinde concentus quosdam efficerent concordes atque congruentes. Hoc igitur illud est, quod philosophum illis verbis significare voluisse plane nobis persuasimus. Atque eam interpretationem confirmant non mediocriter, quae apud Athenaeum XIV. p. 617. narrantur, ubi Pratinas dicitur graviter increpuisse tibicines, quod

chori modos parum accurate servarent, hoc est, carmina praescripta modularentur liberius; de qua re alio tempore explicabimus. Sed multo certius etiam confirmant eandem ipsius verba Platonis, quae continuo subiiciuntur, quandoquidem omnia atque singula, ubi illam amplexi fuerimus, tam plana, tam aperta, tam denique dilucida fiunt, ut de toto loco ne levissima quidem dubitatio remaneat.

Itaque his ita expositis ad horum ipsorum, quae deinceps consequuntur, examen accedere licebit. Afferuntur autem, si quid iudicare possumus, toto hoc loco ea, quae ad uberiorem antegressorum verborum expositionem comparata sint: id quod vel ex usu vocularum *καὶ δὴ καί* intelligi licet. Quae quidem triplicis sunt generis. Nam dicuntur citharistae primum *πυκνότητα μανότητι;* deinde *τάχος βραδυτῆτι*, denique *ὀξύτητα βαρύτητι παρέχεσθαι*, eamque *ξύφωνον καὶ ἀντίφωνον*. Quae omnia qualia sint et quorsum pertineant, ordine deinceps ita explicare conabimur, ut simul locum Platonis, quantum poterit fieri, subtilius interpretemur.

Quaerentibus igitur nobis de primorum verborum vi et potestate ante omnia definiendum esse videtur, quid sit *πυκνότης*. Ea vero in quanam re posita fuerit, satis exploratum habetur. Dicta enim a musicis est *πυκνότης*, quum spatia sonorum principalium interiectis sonis mobilibus maiore quadam vocum varietate complebantur, atque iis sonis, qui essent interpositi, etiam alii rursus interserebantur, ita ut maior inde nasceretur eorum copia et frequentia. Enimvero unicuique certe, qui musica vel leviter gustaverit, clarissime patere debet, fractionibus quasi et solutionibus quibusdam sonorum in partes minores et tenuiores admissis, ipsos spissiores existere et quasi condensari; quod ipsum *πυκνοῦσθαι* significat. Pertinet huc locus Plat. De Rep. VII. p. 531. ubi facete nec sine irrisione describuntur organici, ex talibus rebus insignem quandam artis laudem captantes: *πυκνώματ᾽ ἄττ᾽ ὀνομάζοντες καὶ παραβάλλοντες τὰ ὦτα οἷον ἐκ γειτόνων φωνὴν θηρευόμενοι οἱ μέν φασιν ἔτι κατακούειν ἐν μέσῳ*

ἠχήν τινα καὶ σμικρότατον εἶναι τοῦτο διάστημα: ad quem locum plura de ea re commentati sumus. Nec vero aliena sunt illa QUINTIL. Institut. Orat. XII. 10. 68. ubi rhetor clarissimus haec scripsit: *Eadem musicorum ratio est, qui quum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant.* Nimirum quid ibi significetur, declarat dilucide annotatio BOECKHII in edit. Spalding. Vol. IV. p. 670 sq. Cogitandum est enim de quinque terminis immobilibus systematis eius, quod inde ab Aristoxeneis erat usitatissimum, quibus quidem terminis alii soni mobiles, pro variis illi generibus harmoniae varii, interponebantur. Sed uberiorem harum rerum notitiam si qui sibi expetant, ii adeant BULLIALDUM ad Theon. Smyrn. p. 277. et 144 sq. NICOMACH. Harmon. p. 13. et 39. ARISTOXEN. p. 24. 50. 62 sq. et ex recentioribus ante ceteros omnes BOECKHIUM Comment. De anima mundan. Platon., quae inserta est Studiis a DAUBIO et CREUZERO quondam evulgatis Vol. III. P. I. p. 30. sqq. et De metris Pindar. Libr. III. Cap. 7. p. 208 sqq. Nos enim pro consilio nostro satis habemus rem quam brevissime exposuisse. Iam vero, *πυκνότητος* ratione explorata, etiam illud perspicuum fore speramus, quod ad *μανότητος* naturam declarandam pertinet. Haec enim quum *τῇ πυκνότητι* sit contraria, profecto nihil potest esse nisi sonorum raritas quaedam, qua ita fit, ut illi maioribus a se invicem intervallis discreti sint. Quod firmatur etiam MARTIANI CAPELLAE auctoritate, qui *ἄπυκνον* reperitur interpretatus esse per *rarum.* Itaque manifestum est verbis *πυκνότητα μανότητι* significari, musicos in temperando lyrae concentu ita versari solitos esse, ut rarioribus cantantium vocibus consociarent frequentiores lyrae sonos. Ex quo apparet simpliciorem cantum pueris praescriptum a citharistis fuisse maiore quadam sonorum varietate distinctum atque variegatum.

Sed satis de his. Veniamus ad illud, quod dicitur *τάχος βραδυτῆτι παρέχεσθαι.* Quod magnopere cavendum est, ne ad rhythmi vel

numeri mutationem et vicissitudinem referamus. Nam de hac quidem in proximis demum monetur, sicuti postmodo videbimus. Imo pertinet illud, si quid iudicare possumus, ad illam ipsam densitatem et raritatem sonorum, de qua modo explicatum est. Etenim spissiores sicubi lyrae soni ad pueri cantum accedebant, iisdem servatis numeris prorsus erat necessarium, ut illi essent celeriores, hi tardioribus pro illorum ratione incederent gressibus. Nec vero mirum est, quod vel in puerili institutione eiusmodi artificia ostentata sunt. Coeperat enim ars musica illis temporibus vel maxime ad dexteritatis cuiusdam laudem revocari, qua ita fiebat, ut qui intra brevissimum tempus sonos quam maxime varios e fidibus et organis elicerent, ii in illa praeter ceteros maxime excellere putarentur. Quorsum spectant quae narrantur apud PLUTARCH. de mus. T. II. p. 441. et ARISTOX. Harmon. Elem. II. p. 53. Et pertinet huc etiam locus PLATONIS Legg. II. p. 669. B.—E. ubi de ea re non sine acerba quadam artificum reprehensione exponitur, addita denique hac admonitione: *ἀλλ' ὑπολαβεῖν ἀναγκαῖον, ὅτι τὸ τοιοῦτόν γε πολλῆς ἀγροιστίας μεστὸν πᾶν, ὁπόσον τάχους τε καὶ ἀπταισίας καὶ φωνῆς θηριώδους σφόδρα φίλον.* Quem locum hac data occasione a criticorum dubitatione quadam vindicare licebit. Haeserunt enim illi in isto *ἀπταισίας* mirifice. Nam CORNARIUS pro eo *ὀψίας* requirit, satis quidem inepte. ASTIUS in Commentariis desiderat *ἀπνευστίας*, quod intelligi vult de spiritus, quam vocat, retentione, nescio qua; sed in Lex. Plat. s. v. legi mavult *ἀπαυστίας*. LOBECKIUS ad Phrynich. p. 510. legendum arbitratur *πτοήσεως*, *perturbationis.* ORELLIUS denique in nupera editione Turicensi coniectat *ἀποτάσεως*. Laetissima vero coniecturarum seges, ex qua una si loci salus penderet, facile crederes eum iam uno alterove modo persanatum haberi. At enim vero qui bene sani sunt, ii certe non indigent medicamentis. Quod ipsum in hunc locum convenit, qui tam est sanus atque integer, ut nulla ex parte laborare videatur. Quippe agitur in eo, ut

modo vidimus, de solertia artificum in sonis quam velocissime ex instrumentis musicis proliciendis. Quid vero? Nonne cum ista ipsa celeritate etiam aliud quid coniunctum sit necesse est, siquidem illi laudem suam recte tueri velint? Nimirum equidem si quid video, debent illi cum celeritatis virtute etiam hanc coniunctam habere, ut nusquam haereant, nusquam offendant, nusquam denique admittant quod vitiosum habeatur, quoniam alioquin absurdus cantus efficeretur. Atque hoc ipsum putamus illud esse, quod *ἀπταισίας* vocabulo designatur, cuius usum docte illustravit Wyttenbachius ad Plut. Moral. p. 76. C. = p. 446. ed. Lips. Vol. I. Quocirca tantum abest ut illud in fraudis suspicionem vocandum fuerit, ut longe sit verissimum ac sincerissimum. Sed haec veluti per occasionem. Pergimus ad proxima.

Tertium enim citharistarum artificium, quod Plato ab institutione puerili procul haberi iubet, in eo cernitur, quod illi etiam *ὀξύτητα βαρύτητι ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον παρέχεσθαι* dicuntur. Quod manifesto pertinet ad gravium et acutorum sonorum mixtionem et consociationem. Nam *βαρεῖς* vocantur soni *graves*, *ὀξεῖς* autem soni *acuti;* de quo loquendi genere v. Plat. Phileb. p. B. O. D. ibique annot. nostr. Quid autem rei sit, id vero, nisi egregie fallimur, accuratius indicatur additis verbis: *ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον;* quae quamquam etiam antegressa cola quodammodo attingunt, tamen potissimum ad postremum istud, *ὀξύτητα βαρύτητι,* referri existimanda sunt. Quamobrem quidnam sit quod iis significetur, diligentius exquisivisse iuvabit. In qua re iis, quae quum ab aliis tum a Boeckhio De metris Pindari Libr. III. Cap. X. Opp. Pindar. Vol. I. P. II. p. 250 sqq. de eodem argumento explicata sunt, ita utemur, ut, nostris quibusdam interpositis, totam disputationem, quantum fieri poterit, ad popularem intelligentiam accommodemus. Itaque *ἀντίφωνον* quidem et *ἀντιφωνίαν* constat a Graecis dici solere de iis sonis, qui *διὰ πασῶν,* quod est octavae nostrae intervallum, inter se congruunt, veluti quum c

et c̄ inter se respondent. Ex quo apertum est, *ἀντίφωνον* cantum non esse alium, quam quem nostri *unisonum* vocare solent. Enimvero convenit hic vocabuli usus egregie cum loquendi consuetudine, quae in consimilibus nominibus cernitur, ut quum dicitur *ἀντίτυπον, ἀντίμορφον, ἀντίστροφον,* quibus omnibus designatur id, quod rei cuipiam ex altera parte ad amussim respondet. Vid. de his annot. nostr. ad Phileb. p. 40. D. et 51. E. Dignum est autem diligenti animadversione, consonantiam istam sonorum, quae *ἀντιφωνία* dicta est, eandem et habitam et appellatam esse *συμφωνίαν* maximam; quod quum ad usum loquendi cognoscendum nonnihil momenti affert, tum multum facit etiam ad rerum ipsarum intelligentiam; id quod infra patebit certius. Non opus putamus, ut haec omnia multis multorum testimoniis confirmentur. Satis erit monuisse illustrari ea et exponi luculentissime ab Aristotelico scriptore Problematum XIX. 35. XIX. 39. et XIII. 39. cuius verba emendata leguntur Aristot. Oper. Vol. II. p. 920 sq. ed. Bekker. Hunc igitur adiisse iuvabit, si qui requisiverint quae ad fidem faciendam valeant. Illud autem non erit supervacaneum admonuisse, quod ad rem praesentem propius pertinet, in verbis Platonis interpretandis erravisse videri, qui *ἀντίφωνον* explicaverunt *dissonum, sono discordans*, licet Hesychius eam rationem firmare videatur, qui haec habet: *Ἀντίφωνα: ἐναντιόφωνα.* Nimirum in fraudem illi inducti sunt eo, quod continuo additur *τὸ ξύμφωνον,* ex quo festinato aliquantum iudicio protenus concluserunt *ἀντίφωνον* significare contrarium, ideoque denotare id, quod sono suo discordet. Quod quantum a veritate abhorreat, quum vel ex superioribus intelligi liceat, tum etiam clarius appariturum esse putamus, ubi de eo, quod Graeci *ξυμφωνίας* et *ξυμφώνου* nomine insigniverint, expositum fuerit. Id ipsum igitur nunc pro instituti nostri ratione agamus. Indicat autem nomen *symphoniae* non aliquid, quod *antiphoniae* sit plane contrarium, sed potius illud, quod, etsi ab huius natura diversum habeatur,

tamen eidem etiam consimile est. Etenim quemadmodum *τὸ ἀντίφωνον* dicitur de intervallo *διὰ πασῶν,* quod respondet octavae nostrae, hoc est de intervallo sonorum maximo, ita *τὸ ξύμφωνον* usurpatum esse constat de intervallis minoribus, quae pro consonis habebantur, quaeque etiam *τῶν παραφωνιῶν* vel *τοῦ παραφώνου* nomine appellata sunt. Nam quam nostri vocare solent *harmoniam*, hoc est, vocum et sonorum complurium concentum uno eodemque tempore auribus accidentem, eam Graeci dixerunt potius *symphoniam, harmoniam* quippe intelligentes aptam concinnamque variorum sonorum consecutionem secundum tonorum genera ex artis legibus factam, qualis in melodia cernitur. Quamquam symphoniae nomine, sicubi nulla fieret oppositio, etiam antiphoniam complexi esse reperiuntur, quandoquidem ea habebatur pro symphonia maxima. Hic igitur est usus vocabuli *ἀντίφωνον,* ex quo iam perspicuum fore putamus, qua ratione apud Platonem *ξύμφωνον* et *ἀντίφωνον* coniungatur. Ac ne quid de illo dubites, de his quoque perspicue explicavit Aristot. Problem. XIII. 38. et XIX. 39. p. 920. Vol. II. ed. Bekker., quem adeant qui ipsi voluerint rem a teste aliquo audire atque cognoscere. Conf. praeterea etiam Forkelius Histor. Mus. Vol. I. p. 401. Boeckh. De metris Pindari p. 234. Cognito autem usu loquendi prorsus necesse est etiam de re ipsa aliquid admoneatur, quo neglecto Platonis mentem vix assequaris. Tenendum enim est, Graecos de symphonia aliquanto aliter sensisse atque nostros. Nam quae intervalla sonorum apud nos vulgo habentur pro consonis *(συμφώνοις),* ea neutiquam omnia Graecis talia visa sunt. Imo illi usum tertiae maioris nostrae itemque sextae et septimae plane seiunxerunt a ratione *συμφωνίας* sive *παραφωνίας,* et ad *διαφωνίαν* sive vocum discrepantiam, quam vulgo dissonantiam vocant, referendum iudicaverunt. Itaque intervalla consona fere habuerunt non alia praeter *τὸ δίτονον, τὸ διὰ πέντε* et *τὸ διὰ τεσσάρων,* sicuti certissimis constat veterum scriptorum testimoniis. V. Aristotel. Problem.

XIX. 17. XIX. 18. Euclid. p. 8. Nicomach. p. 25. Gaudent. p. 11. et Forkel. Hist. Mus. Vol. I. p. 395. Boeckh. De metr. Pindar. p. 254 sqq. Drieberg. in Lex. s. v. *Paraphon.* Atque idem etiam in vetere cantu ecclesiastico valuisse compertum habemus, in quo legimus ex *ὁμοφωνίαις,* quae vulgo *consonantiae* appellantur, nullas alias fuisse concessas atque licitas, quam octavam, quintam et quartam, hac quidem lege et conditione, ut ne quid per earum usum in cantus castitate contaminaretur. De qua re lectu digna sunt quae narrant Gerbertus De musica sacra T. II. p. 113. sqq. et Marpurg. *Kritische Einleitung* p. 225. Atque his ita explicatis iam satis nobis pro consilio quidem nostro constare arbitramur etiam de *συμφωνίας* ratione et usu, qui apud Graecos valuit. Itaque tandem ad id accedamus, quorsum tendit haec disputatio nostra. Quaerendum enim est de sensu verborum iunctorum, quae hactenus singula consideravimus, videndumque, quid sit totum istud: *καὶ ὀξύτητα βαρύτητι ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον παρεχομένους.* Videmur autem neutiquam a recto aberrare verba existimantes prorsus idem significare quod *καὶ ὀξύτητα βαρύτητι κατὰ ξυμφωνίαν καὶ ἀντιφωνίαν π.*, h. e. ***sonos graves et acutos ita miscentes, ut et symphonia et antiphonia habeat locum, ideoque puerorum cantui voces ac soni lyrae modo διὰ πασῶν, modo per δίτονον, modo διὰ τεσσάρων attemperentur.*** Nam istud *ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον* quod ad unum *ὀξύτητα* accommodatum est, id quidem factum putamus per breviloquentiam, quum plene dicendum fuerit potius: *ὀξύτητα βαρύτητι καὶ βαρύτητα ὀξύτητι ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον παρεχομένους.* At nimirum orationis concinnitas istam structuram prorsus flagitabat, quandoquidem *ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον* pertinet item ad superiora *πυκνότητα* et *τάχος*, quibus quae opponuntur, ea per ipsam rei naturam istam praedicati adiunctionem, quae utrique ultimi coli nomini convenit, nullo modo ferunt. Itaque non est cur de huius rationis veritate recte dubitaveris, videmurque tandem etiam hanc periodi partem ita illustravisse, ut non modo omnia ac singula satis perspicua sint, verum etiam interpretatio superiorum verborum: *ἄλλα*

μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τοῦ ποιητοῦ, plane sit confirmata omnique ex parte munita. Unum tamen addidisse non erit inutile. Significavimus enim identidem, istud ξύμφωνον καὶ ἀντίφωνον pertinere etiam ad πυκνότητα et τάχος. Hoc igitur ne temere statuisse videamur, satis erit animadvertisse, etiam inter condensationem et celeritatem tam symphoniae quam antiphoniae locum concessum esse. Quod ubi tenuerimus, de verborum construendorum via et ratione neutiquam dubitabimus.

Quum vero loci istius interpretationem iam tandem profligasse et ad finem perduxisse videamur, tamen nondum ab eo discedere licet. Exoritur enim hic gravissima illa quaestio, quam saepe multumque agitatam fuisse novimus, de concentu vocum complurium apud veteres usitato, de quo alii aliter iudicaverunt. Itaque placet hic primum quidem paucis disquirere, quid ea de re ex hoc Platonis loco colligi possit, ac deinde examinare etiam alia testimonia, quae in illa caussa allata sunt, quo certius aliquando constet, quatenus ea cum Platone consentiant. Quod quidem ita facturi sumus, ut simul nostrum qualecunque iudicium de veterum symphonia interponamus.

Considerantes igitur verba Platonis accuratius ac sententiam iis subiectam diligentius perpendentes primum quidem nobis plane persuasimus, in magna opinionis errore illos versatos esse, qui veteribus Graecis et Romanis omnem fere plurium vocum suaviter consociandarum artem rationemque abiudicaverunt. In quorum numero adeo fuit magnus ille Ioannes Keplerus, qui in libro nobilissimo *De harmonia mundi* p. 80. eos in ista arte non plus profecisse arbitratur quam nostros utricularios *(Dudelsackpfeifer)*. Enimvero vel ex iis, quae modo ad illustranda Platonis verba de antiphoniae et symphoniae rationibus disputata sunt, perspicuum fore arbitramur, Graecos utique perspecta habuisse varia vocum ac sonorum intervalla. Quod profecto vel solum satis est ad aliquam artis illius laudem iis vindicandam. Nunc vero multo plura etiam iis nota fuisse compertum habemus, quae nos dubitare non sinunt, quin in his rebus maius

quiddam, quam illi putant, praestiterint. Quamquam quousque in eo progressi sint, in tanta testimoniorum penuria vix coniici, nedum definiri unquam poterit. Verum illud quidem vel ex hoc uno Platonis loco intelligi posse arbitramur, Graecos in hac artis musicae parte neutiquam rudes plane et imperitos extitisse. Verum enim vero tametsi arbitramur refelli hoc Platonis loco gravissime eorum sententiam, qui veteribus maximam hoc in genere inscitiam exprobraverunt; tamen nec illos verum vidisse existimamus, qui exinde collegerunt, eam, quae nunc vocatur, harmoniam illis notam fuisse et usitatam. Quod profecto nullo modo inde probari potest. Etenim quid tandem est, quod citharista ibi facere dicitur? Nimirum artificiose variat cantum a poëta puero praescriptum, atque hoc dum facit, admiscet simul subinde sonos, qui cum pueri cantu κατ' ἀντιφωνίαν et κατὰ συμφωνίαν concordant. Unde quis tandem sibi persuadebit protenus colligi licere, veteribus Graecis omnino continuam quandam symphoniam vocum atque fidium fuisse usitatam? Imo vero quod unum recte inde concluseris, nihil est aliud, quam quod etiam aliunde constat, cognitam eos habuisse variam congruentiam sonorum, atque varios fidium tibiarumque sonos vocibus cantantium adiunxisse. Plus autem si inde efficere coneris, iure meritoque operam lusisse dicaris.

Ac tanto minus profecto tale quid ex verbis Platonis colligere licet, quanto verisimilius est, Graecos et Romanos omnino aequabilem et constantem diversarum vocum certa lege inter ipsas iunctarum modulationem penitus ignoravisse, ut ne Boeckhio quidem assentiendum videatur, qui in Comment. De metris Pindari p. 253. iis saltem simile quiddam attribuit. Cuius sententiae nostrae duo potissimum argumenta habemus, alterum ex silentio scriptorum certorumque testimoniorum penuria repetitum, alterum ductum ex iis, quae diserte de musica veterum memoriae prodita sunt. Nam ut de his primum dicamus, choricus quidem cantus non videtur alius in usu fuisse nisi qui consono ore fiebat, ita quidem, ut et symphonia et antiphonia locum haberet. Cuius rei testis est locupletissimus Aristotel. Problem.

XIX. 18. p. 918. et Bekker. ubi respondetur ad quaestionem: *διὰ τί ἡ διὰ πασῶν συμφωνία ᾄδεται μόνη;* Symphoniam autem iam antea vidimus apud eos multo arctioribus finibus quam apud nos inclusam fuisse. Ex quibus rebus quis est quin fateatur rectissime colligi licere, rationem ipsorum mirum quantum a nostra harmonia diversam fuisse, ut perpetuam quandam seiunctorum sonorum atque vocum cantionem, qualem nostri sectantur, ne admisisse quidem videatur? Huc autem accedit, quod ne unus quidem locus reperitur, unde propriam iis fuisse nostram harmoniae artem probabiliter demonstrari queat. Nam quaecunque eam in rem a viris doctis allata sunt testimonia, ea, si verum quaerimus, minime probant quod inde confici voluerunt. Quod quamquam magnam partem iam ab aliis demonstratum est, de quibus narrat Forkelius Histor. Music. Vol. I. p. 397 sqq. tamen ne quid ad confirmationem eorum, quae supra disputavimus, desiderari videatur, potiores eiusmodi locos iuvabit paucis examinavisse. Itaque primum quidem audiamus Ciceronem, ad cuius auctoritatem novimus hodie quoque esse qui hac in caussa provocare soleant. Is igitur De Rep. II. c. 42. haec scripsit: „*Ut enim in fidibus aut tibiis atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens; sic ex summis et infimis et mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit; et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia.*“ Quae verba primo adspectu sane speciosi quiddam habent, ut facile credas etiam antiquitati nostram harmoniam fuisse probatam. At enim vero tantum abest ut id inde demonstrari queat, ut Tullium alia omnia testari nullo fere negotio doceri possit. Nam primum quidem diligenter animadvertendum est, loqui eum de *harmonia*, quo nomine veteres, sicuti iam supra ostendimus, nunquam significant illam sonorum convenientiam, quam nos harmoniam dicere solemus, sed indicant potius aptam concinnamque consecutionem vocum

ac sonorum, ex qua efficitur melodia. v. Plat. Legg. II. p. 665. A. Phileb. p. 17. C. Vitruv. V. 4. Lactant. De opific. dei c. 16. ut mittamus alios. Hoc igitur primum est, quod teneri oporteat, siquidem Ciceronem recte intelligere velimus. Ad hoc vero accedit alterum, unde verbis obscurioribus clarissima lux affunditur. Imitatur enim philosophus Romanus, ut solet, verba Platonis, qui De Republ. IV. p. 443. D. E. haec scripsit: *τοιοῦτόν τι ἦν, ὡς ἔοικεν, ἡ δικαιοσύνη — μὴ ἐάσαντα τἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὑτῷ μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ καὶ κοσμήσαντα καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα, ὥςπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς, νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης, καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ταῦτα ξυνδήσαντα καὶ παντάπασιν ἕνα γενόμενον ἐκ πολλῶν, σώφρονα καὶ ἡρμοσμένον, οὕτω δὴ πράττειν δή, κ. τ. λ. iustitiam videbatur servare — qui sua revera bene disposuit, sibi ipse imperavit, sibi ipse consensit, et tres illas sui partes* (h. e. tres animi sui facultates), *tanquam tres terminos harmoniae, chordae imae, summae, mediae, et si quid inter has medium est interiectum, conciliavit inter se invicem et connexuit, atque ita prorsus per hunc talem concentum e multis factus est unus.* Apertum est vero apud Platonem non de symphonia agi, sed potius de harmonia, qua ita fiat, ut ex dissimillimis vocibus ac sonis, summis, infimis et mediis, vel, ut ait, ex *νήτῃ, μέσῃ* et *ὑπάτῃ*, de quibus v. Vitruv. v. 5. et Nicomach. Harm. p. 33., sollerti musicorum moderatione cantio efficiatur, cuius multiplices soni non discrepent, sed denique ad unam quandam eamque pulcram atque suavem melodiam efficiendam mirabiliter congruant. Atque hoc ipsum etiam Ciceronem putamus significavisse. Qui quod dicit *in fidibus aut tibiis*, h. e. in organorum musicorum tractatione, *et in ipso cantu ac vocibus*, in ipso vocum cantu, *concentum esse tenendum ex distinctis sonis; distinctos sonos* certe non alios intellexit, quam summos, medios et infimos, ad unum quidem temperatos, sed eosdem tamen inter ipsos seiunctos ac discretos, unde

deinde recte opponitur: *ex summis et infimis et mediis ordinibus; concentum* autem non voluit esse concordiam variorum sonorum uno eodemque tempore concinentium, sed aptam concinnamque sonorum, cantum aliquem sive melos efficientium, congruentiam; quem quidem verissime *tenendum* arbitratur, hoc est, usque servandum, quia alioquin disperit omnis cantus gratia ac venustas. Itaque apertum est etiam quorsum pertineant ista: *quem immutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt.* Nam si quid canitur absurde, certe id auribus accidere solet molestissimum et ingratissimum. Nec vero iam reliqua ullam habent difficultatem. Nam quod ita effici dicitur *concentus concors et congruens*, id non de symphonia *(vom harmonischen Zusammenklang)*, verum de continua vocum et sonorum modulatione accipiendum est, qua neglecta oritur cantus inconcinnus atque dissonus, quod vitium Graeci nomine *πλημμελείας* insigniverunt. Nimirum etiam harmoniae atque melodiae rationes sonorum concordiam et congruentiam flagitare, quis est qui infitiari audeat? Verum satis haec sunto de Cicerone. Nam concordiam et congruentiam recte ita dici, id certe neutiquam indiget demonstratione. Properamus igitur ad alia, quae ad harmoniam nostram veteribus vindicandam aliquid valere iudicata sunt. Pertinent vero huc etiam illa Senecae Epist. 84. *Non vides, quam multorum vocibus chorus constet; unus tamen ex omnibus sonus redditur: aliqua illis acuta est, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris feminae; interponuntur tibiae: singulorum ibi latent voces, omnium apparent.* At nimirum ne ista quidem probant, quod viri quidam docti inde collegerunt. Etenim cogitandum est procul dubio de homophonia et antiphonia cantus chorici, quandoquidem feminae voce acuta, viri autem voce gravi cantaverunt. Cui cantui quod interpositae fuisse dicuntur tibiae, existimandi sunt tibicines eodem fere modo choro tibiarum cantum sociasse, quo facit citharista apud Platonem, hoc est, cantum chori, paraphonia et antiphonia admissa, artificiose exornasse et variavisse. Quod si recte ita statuimus, sponte apparet, ne hic quidem extare ullum nostrae harmoniae vestigium. Ac similiter locum intellexit

etiam Boeckhius De metris Pindari p. 254. ann. 19. ut tanto rectius videamur uberiore sententiae nostrae explicatione supersedere posse. Progredimur igitur ad locum Horatii Epod. IX. v. 4 sqq. *Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo, Beate Maecenas, bibam, Sonante mixtum tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis barbarum,* h. e. Phrygium. Ibi vero quis est quin protenus videat cogitari oportere de simili concentu, atque apud Platonem et Senecam animadvertimus? Ut igitur dubitari possit de harmoniae Doriae et Phrygiae usu, de quo non est cur nunc exponamus, tamen concentus ratio universa quaenam fuerit, satis exploratum esse putamus. Similiter iudicandum est de illis Horat. Art. Poët. v. 202. *Tibia — tenuis simplexque foramine pauco adspirare et adesse choris erat utilis.* ac de verbis Quintiliani Institt. Orat. I. 10. *Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant harmoniam, sonum quoque his motibus dederunt. In choris quum dux carminis hymno praecinit, concinentium vulgus virorum et feminarum mixtis gravibus et acutis clamoribus unam harmoniam resonant.* Enimvero ibi quoque chorus is animo informandus est, qui voces symphonia et antiphonia consonas fundit concinentibus tibiis. Nec vero iam interpretationis lucem desiderare videntur quae habet personatus Aristoteles De mundo c. 6. *καθάπερ δὲ ἐν χορῷ κορυφαίου κατάρξαντος συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χόρος ἀνδρῶν ἔσθ' ὅτε καὶ γυναικῶν ἐν διαφόραις φωναῖς ὀξυτέραις καὶ βαρυτέραις μίαν ἁρμονίαν κεραννύντων.* Quae tam mirabiliter cum Quintilianeis consentiunt, ut uni loco ubi lucem affuderis, eadem opera etiam alterum dilucidaveris. Sed idem fere de ceteris locis, qui ex Macrobio Prooem. Saturn., Ptolomaeo Harmon. II. c. 12., et Cassiodoro, hac in caussa allati sunt, iudicari debet. Nam Macrobius quidem sua a Seneca mutua sumsit, ut quae de hoc exposita sunt, ea etiam in illum conveniant. Cassiodorus autem quod symphoniam vocat *temperamentum sonitus gravis ad acutam, vel acuti ad gravem, modulamen efficiens, sive in voce sive in percussione sive in flatu*, satis erit ad intelligendam ipsius sententiam ea recordari,

quae antea de symphoniae et antiphoniae vi et natura exposita sunt. Nec vero negotium facessit Ptolomaeus, qui quae narrat de variis sonorum complicationibus earumque nominibus, ea neutiquam adversantur ei sententiae, quam defendendam tuendamque suscepimus. Quin ne Platonis quidem verba Legg. II. p. 669. C. D. ubi disseritur de varia ac multiplici vocum et sonorum mixtione, quae graviter reprehenditur, nunc videntur peculiarem sibi deposcere enarrationem, quamquam de loco illo perquam memorabili alio tempore accuratius disputare apud animum constituimus.

Itaque his ita expositis clarissime apparet, opinor, verum esse quod antea iudicavimus, nullum usquam in scriptis veterum locum reperiri, ex quo certo possit demonstrari, veteribus Graecis et Romanis aliquid de nostrae harmoniae arte, qualem antea descripsimus, suboluisse. Nec vero ea res nobis tam mira videtur, quam multis visa est. Quod enim plerique omnes vehementer mirati sunt, atque etiamnunc saepe mirantur, quod Graeci, quum in aliis artibus incredibili paene ingenii sollertia praestantissima et perfectissima opera effecerint, tamen in pulcherrima et humanissima arte, cui ab ipsis Musis nomen est, tam parum profecerint, ut paene rudes ac barbari mansisse videantur; quam illi barbariem et feritatem dicunt, Graeci ipsi fortasse tanquam cultioris et eruditioris humanitatis argumentum praedicaturi essent, miraturi vicissim nostrae harmoniae usum et consuetudinem. Nimirum tribuerunt illi omnia, si quid iudicare possumus, uni potissimum melodiae praestantiae ac virtuti, in qua conformanda atque perficienda adeo elaborarunt, ut sonorum tanquam flexiones et moderationes multo videantur habuisse nostris liberiores; id quod etiam ex eo intelligi licet, quod tenuissima quaeque atque tenerrima vocum discrimina admirabili subtilitate rimati esse seduloque in ipso cantu observasse reperiuntur. Hanc vero carminum musicorum et condendorum et fundendorum egregiam libertatem, ex qua una omnis cantus perfectionem et absolutionem aptam ac suspensam esse putarunt, quo facilius tuerentur certiusque retinerent, ne voluisse quidem existimandi sunt aliquid invenire aut excolere, quod

harmoniae nostrae esset par aut consimile. Quippe sensit utique gens humanissima, id quod in ipsa rei natura positum est, continuam istam iuncturam disparium vocum, quarum unaquaeque suam sibi propriam haberet modulationem, tanquam vincula iniicere primarii cantus libertati, ideoque illam potius spernendam quam hanc amittendam censuit. Quod quis est, qui barbariae scilicet istius, quam multi crepant, indicium esse putet, ac non potius pro argumento summae humanitatis et eruditionis ducat? Itaque illis iustissima verissimaque de caussa cantus per harmoniam, sive figuratus, fuit simplicissimus, licet neutiquam tam iners, quam multi putaverunt, neque mirandum est, quod in hoc artis genere minorem videntur laudem ingenii consecuti esse, quam quae nostris artificibus eo nomine vulgo tribuitur.

Verum redeundum est aliquando rursus ad Platonem nostrum, ne plane videamur cancellos egressi esse. Itaque his missis ad extremam partem loci Platonici, quem enarrare instituimus, accedamus. Ea vero desiderat commentationem brevissimam. Commonetur enim iam etiam de rhythmis eorumque variatione, quam philosophus censet in puerili institutione illa, de qua loquitur, sedulo evitandam esse. Id quod indicatur his verbis: *καὶ τῶν ῥυθμῶν ὡςαύτως παντοδαπὰ ποικίλματα προςαρμόττοντας τοῖς φθόγγοις τῆς λύρας.* Enimvero quae antea de sonorum velocitate et tarditate memorata sunt, ea pertinent, ut suo loco ostendimus, ad unam harmoniam atque declarandam *τῆς πυκνότητος* et *τῆς μανότητος* rationem. Quocirca nunc rectissime seorsum exponitur etiam de rhythmis, hoc est de numerorum moderatione, quam nostri temporis *(Tempo)* nomine insignire solent, Graeci et Latini *agogen rhythmicam* et *ductum rhythmicum* appellaverunt. Id quod usu fere constanti atque legitimo fit, quandoquidem cum harmonia de more etiam illius mentio iungitur, veluti Legg. II. p. 655. A. 665. A. 660. A. 669. D. VII. 800. D. VIII. 835. A. Phil. 17. C. D. Symp. 187. C. D. Gorg. 502. C. De Republ., III. 397. B. C. 398. D. 400. B. X. 601. A. al. Huic vero rhythmopoeiae

Graecos novimus item plurimum studii atque curae impendisse, quandoquidem facile videbant, ad varios animi sensus et affectus exprimendos illa nihil esse accommodatius. Id quod praeter alios testantur Aristotel. Politic. VIII. p. 455. et Aristides Quintil. p. 40. ubi hanc partem doctrinae musicae attingit. Atque inde intelligi potest, quidnam apud Platonem sint *τῶν ῥυθμῶν παντοδαπὰ ποικίλματα*. Significantur enim varia et multiplicia *ductus rhythmici* genera, quo fiebat, ut non modo numeri diversi inter se permutarentur, verum etiam unus idemque numerus pro argumenti varietate modo tardior fieret, modo concitatior. Hoc ipsum igitur putamus esse, quod philosophus in prima institutione puerili vitandum esse praecipit, quo facilius pueri modos musicos percipiant et condiscant.

Atque haec quidem sunt, quae de loco Platonis, memorabili pariter illo ac difficili, nunc exponenda putavimus. Unde si vel exiguus aliquis fructus ad Platonis aliorumque scriptorum veterum interpretationem aut ad artis musicae veteris accuratiorem cognitionem redundaverit, videbimur utique huius scriptionis nostrae praemium satis magnum reportavisse.

Corrig. p. 4. vers. 15. *egerunt* pro *exposuerunt*.

Kurze Schulnachrichten.

Mit dem zu Ende gehenden Schuljahre ist für unsre Anstalt abermals ein Zeitraum verflossen, der, obschon nicht frei von einzelnen trüben Erfahrungen, dennoch im Ganzen reich an erfreulichen und wohlthuenden Erscheinungen der mannigfaltigsten Art gewesen ist, so daß wir am Schlusse desselben nur mit der innigsten Dankbarkeit gegen Gott auf ihn zurückblicken können. Lehrer und Schüler erfreueten sich während desselben eines gedeihlichen Fortganges ihres gemeinsamen Werkes, und konnten dasselbe ohne bedeutende Unterbrechung betreiben und fortführen. Im Innern der Anstalt erhielt sich fort und fort der Geist der Wissenschaftlichkeit und Sittlichkeit, so daß nur in wenigen einzelnen Fällen Ausnahmen davon sichtbar wurden, welche die Anwendung ernsterer Maaßregeln erheischten. Das Vertrauen, dessen sich dieselbe nach Außen hin zu erfreuen hatte, verblieb ihr auch in dieser Zeit und gab sich von verschiedenen Seiten her in erfreulicher Weise kund, wie es sich namentlich auch in der fortdauernden Frequenz der Schüler offenbarte. Die Förderung unserer wissenschaftlichen und sonstigen Zwecke endlich wurde uns unausgesetzt durch die theilnehmende Unterstützung hochedler Gönner und Patrone der Schule gewährt, so daß wir uns insbesondere auch in dieser Hinsicht zum lebhaftesten Danke verpflichtet fühlen müssen.

Von den im Laufe des Jahres eingetretenen besondern Ereignissen und Umständen theilen wir Folgendes mit, worauf wir uns zur Uebersicht der während dieser Zeit behandelten Lehrgegenstände und stattgefundenen Uebungen, zur Mittheilung von Bemerkungen über das Schülerpersonal, und zur Ankündigung zweier Schulfeierlichkeiten wenden werden.

Einen höchst erfreulichen Beweis von fortdauernder Wohlthätigkeit gegen die alte Lehranstalt empfingen wir auch in diesem Jahre wieder. Es erhielt nemlich der seit 1802 bestehende Wittwen- und Waisenfiscus der Lehrer durch das Vermächtniß der am 27. März 1845 hierselbst verstorbenen Frau Anna verw. Rumpff, geb. Felix, einen bedeutenden Zuwachs, indem die edle Frau letztwillig verordnet hatte, daß 2000 Thlr. Conv. an den Fond des genannten Fiscus ausgezahlt werden sollten, um von den davon zu beziehenden Zinsen die Pensionen der Wittwen zu verbessern. Die Verewigte hat sich durch diese edle Wohlthätigkeit ein unvergängliches Andenken unter uns gegründet, und mit inniger Verehrung wiederholen wir hier noch einmal den Dank, welchen wir bereits

früher öffentlich gegen dieselbe und die hochverehrten Vollzieher ihres letzten Willens ausgesprochen haben.

Einen ungeahneten Verlust erfuhren wir durch das plötzliche Dahinscheiden eines verehrlichen Mitgliedes der Hochlöblichen Gymnasial-Schulcommission, indem Herr Baccal. Paul Leplay am 7. Febr. mit Tode abging. Stand derselbe auch kaum erst ein Jahr diesem Amte vor, so haben wir doch seinen Verlust aufrichtig zu betrauern, da er sich der Sorge für die Gymnasien mit Treue und Gewissenhaftigkeit unterzog und für die Gymnasial-Bildung ein lebendiges Interesse an den Tag legte.

In einer andern und erfreulichern Weise erfuhr die Anstalt eine Trennung von einem hochverehrten Manne, der mit ihr lange Jahre eng verbunden gewesen war. Es legte nemlich Herr D. Christian David Sachse mit Ende Mai vorigen Jahres die Stelle eines Schularztes nieder, welche er seit 1806, also beinahe vierzig Jahre hindurch bekleidet hatte. Die Alumnen verloren in ihm einen langjährigen väterlichen Freund, der stets mit seltener Gewissenhaftigkeit und Treue für ihr Wohl besorgt gewesen war. Was derselbe der Anstalt gewesen und wie glücklich er sie insbesondere auch durch die verhängnißvollen Jahre des Krieges hindurch gerettet hat, das wird stets unter uns in dankbarem Andenken fortleben. Möge er sich noch recht lange eines ruhigen und glücklichen Alters erfreuen! An seine Stelle wurde vom Hochedeln und Hochweisen Patrone Herr D. Carl Heinrich Wagner zum Schularzte erwählt, sowie gleichzeitig die schon früher durch den Tod des D. Kohlrusch erledigte Stelle eines Schulchirurgen dem Herrn D. Hugo Sonnenkalb übertragen wurde.

Im Lehrercollegium ist eine Veränderung nicht eingetreten, so daß der Bestand desselben der nemliche geblieben ist, welchen wir im letzten Jahresprogramm angegeben haben.

Was ferner den Unterrichtsplan unseres Gymnasiums angeht, so ist derselbe bis jetzt in der Weise festgehalten worden, wie er bereits seit längern Jahren besteht. Auch werden ihm in der nächsten Zeit wesentliche Abänderungen durch ergangene hohe Verordnungen nicht bevorstehn. Denn die Uebungen im freien deutschen Vortrage, wie solche durch eine hohe Verordnung vom 6. März vorigen Jahres vorgeschrieben worden, sind bei uns schon längst in der angeordneten Weise gebräuchlich gewesen. Der zeitherige Lehrgang in der Geschichte aber wird durch vor Kurzem ergangene Vorschriften nur in sofern abgeändert, als fernerhin in Prima neuere und in Secunda mittlere Geschichte gelehrt werden soll, während zeither in Prima Geschichte des Mittelalters und der neuern Zeit in einem zweijährigen Cursus und in Secunda Universalgeschichte der alten Welt ebenfalls in einem zweijährigen Cursus vorgetragen wurde; der übrige Theil unsers zeitherigen Lehrganges für die vier untern Classen dagegen stimmt ganz mit der ergangenen Verordnung überein. Auch meinen wir nicht, daß der Unterricht in der alten Geschichte in den obern

Classen ganz in Wegfall solle gebracht werden, indem derselbe durch bloße Lectüre der Classiker keineswegs ersetzt werden dürfte, eine genauere Kenntniß der alten Geschichte aber von den Gymnasiasten vorzugsweise gefordert werden muß.

Doch dies leitet uns von selbst auf die übersichtliche Darlegung der im Laufe des Jahres in den verschiedenen Classen behandelten Lehrgegenstände, woraus unser zeither befolgter Lehrplan im Allgemeinen erkannt werden mag. Zu bemerken ist jedoch dabei, daß die zu gebende Uebersicht sich eben blos auf ein Jahr erstreckt, während sich die Ausführung des Lehrplans in den beiden obersten Classen auf je zwei volle Jahre, in jeder der beiden mittlern Classen auf anderthalb Jahre, und in den zwei untersten Elementarclassen auf ein Jahr ausdehnt. Die Uebersicht der im verflossenen Schuljahre behandelten Gegenstände sind demnach folgende:

Prima. Lateinisch: **Horatii Carm. lib. III.** und **IV.**, das **Carmen saeculare** und einige Satiren; die gelesenen Oden wurden auswendig gelernt und recitirt. 2 Stunden wöchentlich. RECTOR. — **Cicero de Oratore lib. I.** 2 St. CONRECTOR. — **Livius lib. I.** und **II.** erster Theil. 2 St. CONRECTOR. — Uebungen im lat. Stil, verbunden mit Correctur freier Ausarbeitungen; Behandlung der wichtigsten Theile der Stilistik. 2 St. RECTOR.

Griechisch: **Sophocl. Electra**, vollständig; die leichtern dialogischen Partien wurden cursorisch gelesen; dabei Uebungen im Interpretiren. 2 St. RECTOR. — **Thucydides lib. I. c. 1—50.** 2 St. CONRECTOR. — **Plato Apol. Socr.** 2 St. RECTOR. — Griechische Syntax nebst praktischen Uebungen. 1 St. RECTOR.

Deutsche Sprache: Deutsche Literaturgeschichte bis zum Anfange des Meistergesanges; Correctur der schriftlichen Arbeiten; Declamation und Uebungen im freien mündlichen Vortrage. 2 St. CONRECTOR.

Französische Srpache: **Histoire de Napoléon et de la grande armée pendant l'année 1812 par le général comte de Ségur.** — Wöchentliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen, nebst Correctur; **Extemporalia** und Sprachübungen. 3 St. LITT. GALL. MAG.

Italienisch, Prima und Secunda, zunächst für die Alumnen: **Aminta** von **Torquato Tasso** und die zehn ersten Novellen von **Francesco Goave** gelesen und grammatikalisch erklärt; dabei grammat. Uebungen. 2 St. ITALUS.

Hebräisch, erste Abtheilung: Lectüre von **Josua c. XXIV., Judic. I—VI.** und 12 ausgewählte Psalmen; Uebersetzung der evangelischen Perikopen in das Hebräische. 2 St. COLLEG. III. — Zweite Abtheilung: Lectüre von Gesenius Lesebuch S. 1—27. Repetition der Formenlehre u. Uebersetzungen in das Hebräische nach Böttchers Uebungsbuch. 2 St. COLLEG. III. — Dritte Abtheilung: Erklärung und Einübung der Formenlehre mit praktischen Uebungen nach Böttcher. 2 St. COLLEG. III.

Religionsunterricht, Prima und Secunda: Geschichte der christlichen Kirche von Pabst Innocenz III. bis auf die neueste Zeit. 2 St. — Exegese des griech. N. T., ausgewählte Abschnitte. 1 St. — COLLEG. III.

Geschichte: Erzählung der Geschichte des Mittelalters mit besonderer Berücksichtigung der Geschichte von Deutschland. 2 St. RECTOR.

Alterthumskunde, Prima und Secunda: Die Religions- und Privatalterthümer der Römer. 1 St. RECTOR.

Philosophische Propädeutik: Allgemeines aus Psychologie u. Logik, nebst praktischen Uebungen. 1 St. RECTOR.

Mathematik: Wiederholung der wichtigsten Berechnungen aus der Ebenen- und Körperlehre, so wie der ebenen und sphärischen Trigonometrie; vergleichende Berechnungen über das bisherige verschiedene und künftig neue einzuführende Längen-, Flächen- und Körpermaaß. 2 St. MATHEMATICUS.

Physik, Prima und Secunda: Fortsetzung der Reibungselectricität, die Luftelectricität, sowie die übrigen in der Atmosphäre vorkommenden Erscheinungen; namentlich wurde in Bezug auf die Blitzableiter durch mehrere in großem Umfange angestellte Versuche dargethan, daß man bisher weder in der Theorie noch in der Ausführung dieser Ableiter im Klaren gewesen ist. 2 St. MATHEMAT.

Secunda. Lateinisch: Cicer. Orat. pro Sulla. 2 St. CONRECTOR. — Sallust. Iugurtha bis c. 80. 2 St. CONRECTOR. — Virgil. Aen. lib. VI., dann Terent. Andria. 2 St. COLLEG. III. — Stilistische Uebungen, in welchen außer einem wöchentlichen Pensum zum Uebersetzen auch kurze freie lat. Ausarbeitungen geliefert u. beurtheilt wurden. 2 St. CONRECTOR.

Griechisch: Homer. Iliad. lib. VII., dann auserwählte Idyllen aus Theocrit. 2 St. CONRECTOR. — Plutarch. Alexander. Fortsetzung. 2 St. COLLEG. III. — Platon. Apolog. mit Ausnahme derer, welche der dritten hebräischen Classe angehörten, in Verbindung mit Prima. 2 St. RECTOR. — Griechische Grammatik und Uebersetzungsübungen. 1 St. CONRECTOR.

Deutsch: Praktische Rhetorik, insbesondere die Lehre von der Disposition und Elocution; daneben Correctur schriftlicher Aufsätze und Uebung im Declamiren und freien Vortrage. 2 St. COLLEG. III.

Französisch: Lectüre von La Grèce ancienne etc. par Duvinage. S. 218—302. dabei wöchentliche Uebersetzungen aus dem Deutschen in das Französische nebst Correctur, und Dictirübungen mit Grammatik. 3 St. LITT. GALL. MAG.

Italienisch, combin. mit Prima: wie oben; 2 St.

Hebräische Sprache: s. oben unter Prima; jede Abtheilung 2 St. COLL. III.

Religionsunterricht: wie Prima. COLLEG. III.

Geschichte: Geschichte des gesammten Alterthums, insbesondere der Zeit der römischen Weltherrschaft; daneben freie Vorträge der Schüler über die wichtigsten Begebenheiten und merkwürdige Personen. 3 St. COLLEG. IV.

Alterthumskunde: verbunden mit Prima. RECTOR.

Mathematik: Die praktische Geometrie mit besonderer Berücksichtigung der Wiederholung der reinen Geometrie. Es sind hierbei fast alle Arten von Längenmeßwerkzeugen, Boussolen, Winkelmessern, Meßtischen, Diopterlinealen und Nivellen vorgezeigt und aus der Art ihrer Einrichtung der Grad ihrer Genauigkeit und ihre zweckmäßige Anwendbarkeit dargethan worden. 3 St. MATHEMAT.

Physik: mit Prima verbunden, 2 St. MATHEMAT.

Tertia. Lateinisch: Caesar. Bell. Gall. lib. VII. u. VIII. und Bell. civ. lib. I. erster Theil. 2 St. — Cicer. Laelius beendigt; dann Epistolae select. nach Matthiä's

Sammlung, wobei einzelne Abschnitte auswendig gelernt und recitirt wurden. 3 St. — Latein. Grammatik; Lehre vom Gebrauche der Tempora und Modi nach Zumpt §. 494—671. nebst praktischen Uebungen; dabei schriftliche und mündliche Correctur wöchentlicher Aufgaben, und Extemporalia. 3 St. COLLEG. IV., unter dessen Leitung außerdem Mehreres schriftlich übersetzt und privatim bearbeitet wurde. — Ovid. Metamorphos. lib. XIII. und XIV. mit Auswahl; daneben prosodische Uebungen. 2 St. ADIUNCT. II.

Griechisch: Xenoph. Anabas. lib. III. und lib. IV. bis c. 5. mit schriftlicher Uebersetzung einzelner Partien. 2 St. — Homer. Odyss. lib. IV. und V. mit besonderer Berücksichtigung des episch-ionischen Dialects; einzelne Stücke wurden memorirt. 2 St. — Griechische Grammatik nach Buttmann: Wiederholung der Lehre vom Nomen, Artikel, Pronomen, Subject und Prädicat; dann Einübung der Regeln über den Gebrauch der Casus, der Lehre vom Passivum, Medium, den Modis und Temporibus; dabei schriftliche und mündliche Uebersetzungen in das Griechische nebst Emendation derselben. 2 St. COLLEG. IV.

Deutsche Sprache: Ursprung und Wesen der Prosa erklärt; übersichtliche Vergleichung der Prosa mit der Poesie; Andeutungen über die Stilarten der Prosa, und Uebungen im niederen und mittleren Stile; Anleitung zur Auffindung des Gedankenstoffes durch Entwickelung des Begriffs und des Urtheils; Lectüre von Hüllstetts Sammlung auserlesener Stücke aus deutschen Prosaikern und Dichtern; schriftliche Ausarbeitungen; Uebungen im mündlichen Vortrage nebst Beurtheilungen desselben in freier Rede von Seiten der Schüler selbst. 3 St. COLLEG. V.

Französische Sprache: Lectüre von der Histoire de Charles XII. par Voltaire S. 1—84.; wöchentliche Uebersetzungen aus dem Deutschen in das Französische nach Sanguin; Dictirübungen unter unmittelbarer Anwendung der Grammatik. 3 St. LITT. GALL. MAG.

Italienische Sprache, zunächst für die Alumnen der Tertia und Quarta: Grammatik, namentlich die Formenlehre bis zu den unregelmäßigen Zeitwörtern; Leseübungen aus Henke's ital. Sprachlehre, und Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Italienische. 2 St. LITT. ITAL. MAG.

Religionsunterricht, Tertia und Quarta: Einleitung in die biblischen Schriften des A. u. N. T. mit Erklärung einzelner wichtiger Abschnitte. 3 St. COLLEG. III.

Geschichte: römische, von der Schlacht bei Actium bis zum Untergange des weströmischen Reiches, und dann vom Anfange der römischen Geschichte bis zu den punischen Kriegen. 2 St. ADIUNCT. I.

Geographie: Beschreibung der alten Welt, namentlich des alten Italiens und Siciliens, nebst Uebersicht der von den Römern in den verschiedenen Welttheilen eroberten Länder. 1 St. COLLEG. IV.

Mathematik: Die ebene Trigonometrie und Berechnungen aus der Lehre von den Potenzen, Proportionen und der Stereometrie mit Zuziehung der Logarithmen von Vega. 3 St. MATHEMAT.

Kalligraphie: wöchentlich 1 St. für die weniger Geübten. ADIUNCT. III.

Quarta. Lateinisch: Lectüre des Cornel. Nepos, Timoleon, Timotheus, Hamilcar, Dion, Epaminondas, nebst theilweiser schriftlicher Uebersetzung. 3 St. COLLEG. V. — Anthologia Lat. von Schulz N. 1—23. und Stücke aus

Ovid, nebst prosodischen Uebungen und Bildung von Hexametern und Pentametern 3 St. ADIUNCT. III. — Lateinische Grammatik nach Zumpt: Lehre vom Gebrauch der Casus, Tempora und Modi, von §. 422 — 582 und praktische Uebungen im Uebersetzen wöchentlicher Pensa, welche corrigirt wurden. 3 St. COLLEG. V.

Griechisch: Lucian. Timon.; dabei Uebungen im schriftlichen Uebersetzen aus dem Deutschen in das Griechische. 2 St. ADIUNCT. II. — Grammatik nach Buttmann: Lehre von den unregelmäßigen Zeitwörtern und von der Wortbildung mit entsprechenden Beispielen aus Jakobs Elementarbuche; dabei Lectüre von Jakobs Lesebuch, 2. Cursus. 4 St. COLLEG. V.

Deutsche Sprache: die Satzlehre, namentlich in weiterer Ausdehnung, verbunden mit stilistischen Uebungen an gegebenen und von den Schülern selbstgewählten Stoffen; daneben Versuche im freien Vortrage. 3 St. ADIUNCT. II.

Französische Sprache: französisches Lesebuch von Ruland gelesen; wöchentlich Uebersetzung nach Sanguin und Einübung der Grammatik. 3 St. LITT. GALL. MAG.

Italienisch: die Alumnen combinirt mit Tertia. 2 St. LITT. ITAL. MAG.

Religionsunterricht: wie die dritte Classe. 3 St. COLLEG. III.

Geschichte: griechische, von den Perserkriegen bis zur Zerstörung von Korinth. 2 St. ADIUNCT. I.

Geographie: physische und politische von Afrika und Amerika. 2 St. ADIUNCT. I.

Mathematik: die Longimetrie und Planimetrie bis zur Berechnung der Flächen. 3 St. MATHEMAT.

Kalligraphie: wöchentlich 1 St. ADIUNCT. III.

Quinta. Lateinisch: Lectüre von Ellendts Lesebuch. 2 St. — Einübung der Syntax auf die Formenlehre, nach Zumpt und Gröbel. 4 St. ADIUNCT. I. — Uebersetzen von Schulzes Vorübungen. 2 St. ADIUNCT. III.

Griechisch: Einübung der Formenlehre nach Buttmann bis zu den Verben auf *μι*. 2 St. — Lectüre von Jakobs Elementarbuch, verbunden mit mündlichen und schriftlichen Uebungen im Uebersetzen nach Rettig. 2 St.

Deutsche Sprache: die Satzlehre im begränzten Umfange, in Verbindung mit schriftlichen Arbeiten und Uebungen im mündlichen Vortrage. 3 St. ADIUNCT. II.

Französische Sprache: wird zwar in dieser Classe noch nicht besonders gelehrt, doch nahmen diejenigen, welche bei ihrem Eintritt in dieselbe bereits die Anfangskenntnisse besaßen, an dem Unterrichte der Quartaner Antheil.

Religionsunterricht: Glaubenslehre, nebst Memoriren der Hauptstücke und entsprechender Bibel- und Liederverse. 2 St. — Bibelkenntniß, insbesondere Lectüre des Evangeliums Matthäi und Marci. 2 St. COLLEG. V.

Geschichte: die hauptsächlichsten Begebenheiten aus der neuern Geschichte, eklektisch-biographisch. 2 St. ADIUNCT. I.

Geographie: Physische und politische Geographie europäischer Staaten. 2 St. ADIUNCT. I.

Mathematik: Wiederholung der Lehre von den Potenzen, Summirung arithmetischer Reihen, und Einleitung in die geometrischen Proportionen. 3 St. MATHEM.

Naturkunde: Beschreibung der merkwürdigsten Thiere mit Ausschluß der Säugethiere unter Benutzung zweckmäßiger zoologischer Abbildungen. COLLEG. VI.

Verstandesübungen: Elementarlogik; Bildung von Urtheilen, Definitionen, leichten Schlüssen, nebst den Anfangsgründen der Eintheilungslehre; Anthropologie oder das Wissenswertheste über den Leib und die Seele des Menschen. 2 St. COLLEG. VI.

Kalligraphie: wöchentlich 2 St. ADIUNCT. III.

Gesangübungen: die Externen der Classe in wöchentlich 2 St. MUSIC. MAG.

Sexta. Lateinisch: die Formenlehre nach Zumpt und das Allgemeine aus der Syntax, nebst Uebersetzungen aus Ellendts Lesebuche, Vocabellernen u. s. w. 8 St. COLLEG. VI.

Deutsch: Formenlehre u. Lehre von der Rechtschreibung und Interpunktion, verbunden mit schriftlichen Arbeiten und Uebungen im Lesen u. Declamiren. 3 St. ADIUNCT. II.

Religionsunterricht: das Wichtigste aus der christlichen Glaubens- und Sittenlehre mit Einlernen der biblischen Beweisstellen und Erklärung des Lutherschen Katechismus; außerdem Bibellesen und biblische Geschichte. 6 St. COLLEG. VI.

Geschichte: Uebersicht der alten Geschichte mit Hervorhebung der wichtigsten Ereignisse und Persönlichkeiten. 2 St. ADIUNCT. I.

Geographie: Allgemeine Uebersicht der mathematischen, physischen und politischen Geographie; Beschreibung von Europa, rücksichtlich der Gebirge, Flüsse, Staaten, mit ihrer politischen Abtheilung und Angabe der Hauptstädte. 2 St. ADIUNCT. III.

Mathematik: die allgemeinen und Decimalbrüche. 3 St. MATHEMAT.

Naturkunde: wie Quinta. 2 St. COLLEG. VI.

Verstandesübungen: Bildung von Begriffen und leichten Definitionen; Unterscheiden von Synonymen; Erklärung vieldeutiger Ausdrücke n. s. w. COLLEG. VI.

Theoretischen und praktischen Unterricht im Gesange erhielten die den Sängerchor bildenden Alumnen aller Classen in wöchentlich 6 St. vom Cantor.

Turnübungen fanden im Laufe des Sommers unter Leitung des Herrn Universitätsfechtmeisters Berndt auf dem vom Hochedeln und Hochweisen Magistrat dazu überwiesenen und eingerichteten Turnplatze Statt. Im Winterhalbjahre traten für die oberen Alumnen an die Stelle derselben Uebungen im Tanzen.

Uebrigens bedarf es kaum der Erinnerung, daß auch der Privatfleiß der Schüler von Seiten der Schule so viel wie möglich angeregt und überwacht wurde. Wesentlich trugen dazu mit bei die regelmäßigen Arbeitstage. Solche Arbeitstage waren aber, wie immer, die nicht zum Verreisen bestimmten Ferientage, in denen namentlich die Alumnen, welche jährlich nicht mehr als 14 Tage bis 3 Wochen freie Ferienzeit genießen, fortwährend durch wissenschaftliche Arbeiten beschäftiget sind und dabei geleitet werden, eine Einrichtung, deren segensreiche Folgen diejenigen zu würdigen wissen werden, welche erkannt haben, daß das wissenschaftliche Studium nur durch freie Selbstthätigkeit und freie Entfaltung der geistigen Kraft, nicht aber durch beständiges Abrichten und Einlernen, wahrhaft gedeihlich wird. Ein besonders feierlicher Arbeitstag für die erste Classe ist jedesmal der Tag der Witteschen Preisaufgabe, welche nach des nun vollendeter Stifters

Willen unter Beaufsichtigung der Lehrer bearbeitet wird. Es erhielten dieses Mal den Ehrenpreis die Primaner Grützmann und Klemm, von denen der Letztere bereits zu Michaelis die Universität bezogen hat, der Erstere aber jetzt die Schule zu verlassen im Begriff steht.

Uebrigens wurden die regelmäßigen Prüfungen und üblichen Redeactus sämmtlich zur festgesetzten Zeit abgehalten. Zu letzteren trat in diesem Jahre noch die Feier des 18. Februars, als des Todestages unsers großen Reformators Luther, hinzu. Hr. M. Lipsius hielt bei demselben als Religionslehrer die Festrede und mehrere Zöglinge der Anstalt traten dabei mit Gedichten und Vorträgen auf, welche sie selbst verfertiget hatten.

Doch wir wenden uns jetzt mit Uebergehung anderer minder wichtiger Gegenstände zu den Mittheilungen über das Schülerpersonal und die darin eingetretenen oder eben jetzt eintretenden Veränderungen.

Die Gesammtzahl der Schüler, die sich am Schlusse des vorigen Schuljahres auf 219 belief, betrug im letzten Halbjahr 223, im vorletzten aber 235. Davon erhielten zuletzt 36 in Prima, 52 in Secunda, 34 in Tertia, 44 in Quarta, 37 in Quinta und 20 in Sexta Unterricht. Neu aufgenommen wurden im Laufe des Jahres 51. Von den Abgegangenen gingen aus den untern und mittlern Classen die Meisten zur Erlernung höherer bürgerlicher Geschäfte und Künste, Manche auch auf andere Schulanstalten über. Für das höhere wissenschaftliche Studium auf der Universität aber sind, nach abgehaltener Maturitätsprüfung, zwanzig als tüchtig erkannt worden, von denen sieben bereits zu Michaelis v. J. die Universität bezogen haben und dreizehn jetzt entlassen werden sollen.

Die zu Michaelis v. J. Entlassenen sind:

Heinrich Bernhard Klemm, aus Leipzig, stud. iur.
Moritz Voigt, aus Leipzig, stud. iur.
Johann Ernst Friedrich Lechner, aus Leipzig, stud. theol. et phil.
Julius Traugott Pauli, aus Rochlitz, stud. theol.
Carl Theodor Günther, aus Leipzig, stud. iur.
Franz Theodor Fritsche, aus Groitsch, stud. theol.
Alexander Gottlieb Brand, aus Weida, stud. theol.

Von ihnen erhielten Klemm, Lechner, Pauli und Brand das Zeugniß wissenschaftlicher Reife inprimis dignus, die Uebrigen die zweite Censur omnino dignus, und zwar Voigt mit Auszeichnung, Allen insgesammt aber konnte ihres musterhaften Verhaltens wegen das empfehlendste Sittenzeugniß zuerkannt werden.

Die Maturitätsprüfung zu Michaelis bestanden außerdem noch:

Hermann Gustav Fenthol, aus Leipzig, stud. phil., und
Carl Heinrich Marold, aus Hildburghausen, stud. med.

von denen Ersterer in Pforta, Letzterer aber auf dem Gymnasium zu Altenburg Unterricht empfangen hatte. Fenthol erhielt die Censur omnino dignus mit Auszeichnung, und Marold den höhern Grad der Censur satis dignus.

Mit dem Schlusse des gegenwärtigen Schulhalbjahres gehen auf die Universität:

Friedrich Wilhelm Eduard Riedel, aus Ascherhain, stud iur.
Adolph Emil Breiter, aus Leipzig, stud. iur.
August Richard Rohr, aus Hartha, stud. iur.
Carl Heinrich Pusch, aus Leipzig, stud. iur.
Wilhelm Hermann Ferdinand Götz, aus Leipzig, stud. iur.
Carl Friedrich Christian Theer, aus Leipzig, stud. iur.
Ferdinand Theodor Kunad, aus Leipzig, stud. iur.
Tobias Kurzwelly, aus Chemnitz, stud. med.
Carl Albrecht Wolf, aus Treuen im Voigtlande, stud. theol.
Julius Hermann Weigel, aus Leipzig, stud. iur.
Wilhelm Otto Bielitz, aus Leipzig, stud. iur.
Hermann Richard Fritsche, aus Leipzig, stud, theol.
Ernst Moritz Grützmann, aus Zittau, stud. iur.

Es gereicht uns zur wahren Freude, auch diesen Jünglingen fast sämmtlich das erste Sittenzeugniß aus voller Ueberzeugung von ihrer Würdigkeit haben ertheilen zu können, indem nur Breiter mit saepius und Götz mit raro davon eine Ausnahme machen. Hinsichtlich der wissenschaftlichen Reife und Tüchtigkeit aber haben Riedel, Pusch, Theer, Kunad, Weigel, Fritsche und Grützmann das Zeugniß: inprimis dignus, Breiter: satis dignus, und die übrigen insgesammt die Censur: omnino dignus erhalten. Wir erwarten indessen von Allen mit Zuversicht, daß sie auch fernerhin mit segensreichem Erfolge an ihrer geistigen Ausbildung arbeiten und dereinst als tüchtige Gelehrte der Welt und dem Vaterlande nützlich sein werden.

Von Auswärtigen bestanden zu Ostern die Maturitätsprüfung:

Bernhard Carl Franz von Schönberg, gebürtig aus Kreipitzsch bei Naumburg, stud. iur.
Ferdinand Bauer, geboren in Markneukirchen, stud. med.
Carl August Klaunig, aus Wellerswalde bei Oschatz, stud. paedag.

Ersterer gebildet auf dem Gymnasium zu Freiberg, der Zweite früher Gymnasiast in Plauen, dann durch Privatunterricht vorbereitet, der Letzte durch ehrenwerthes Selbststudium und Privatunterricht so weit gefördert, daß er die Prüfung mit gutem Erfolge bestehen konnte. Dieselben legten insgesammt eine hinlängliche wissenschaftliche Kenntniß an den Tag, und es wurde der zuerst Genannte des Zeugnisses omnino dignus, und die Letzteren der Censur satis dignus für würdig befunden. Mehrere Andere, die sich zu dieser Prüfung angemeldet hatten, mußten leider wegen unzulänglicher Kenntnisse zurückgewiesen werden.

Den Schluß unsers Schulcursus werden zwei Schulfeierlichkeiten bilden, welche zunächst Veranlassung zur Abfassung dieser Schulschrift geboten haben, die öffentlichen Prüfungen der zurückbleibenden Schüler, und der feierliche Valedictionsactus der zur Universität abgehenden Jünglinge.

Die öffentlichen mündlichen Prüfungen

werden von Montag den 20. April an in folgender Ordnung gehalten werden:

Montags, den 20. April.

Vormittags von 8—11 Uhr.

Religionsexamen, mit Prima und Secunda. Colleg. III. M. Lipsius.
Physik, mit Prima und Secunda. Mathemat. M. Hohlfeld.
Lateinisch, mit Prima. Rector Prof. Stallbaum.
Griechisch, mit Prima. Conrector M. Jahn.

Nachmittags von 2—5 Uhr.

Griechisch, mit Secunda. Colleg. III. M. Lipsius.
Geschichte, desgleichen. Colleg. IV. M. Koch.
Lateinisch, desgleichen. Conrector M. Jahn.
Hebräisch, zweite und dritte Abtheilung. Colleg. III. M. Lipsius.

Dienstags, den 21. April.

Vormittags von 8—11 Uhr.

Griechisch, mit Tertia. Colleg. IV. M. Koch.
Deutsch, desgleichen. Colleg. V. M. Zestermann.
Lateinisch, desgleichen. Colleg. IV. M. Koch.
Französisch, desgleichen. M. Günther.

Nachmittags von 2—5 Uhr.

Mathematik, mit Quarta. Mathemat. M. Hohlfeld.
Geschichte, desgleichen. Adiunct. I. M. Haltaus.
Lateinisch, desgleichen. Colleg. V. M. Zestermann.
Griechisch, desgleichen. Adiunct. II. M. Jacobitz.

Mittwochs, den 22. April.

Vormittags von 8—11 Uhr.

Religionsexamen, mit Quinta und Sexta. Colleg. V. und VI.
Verstandesübungen, desgleichen. Colleg. VI. M. Brenner.
Lateinisch, mit Quinta allein. Adiunct. I. M. Haltaus.
Griechisch, desgleichen. Adiunct. II. M. Jacobitz.

Nachmittags von 2—4 Uhr.

Arithmetik, mit Quinta und Sexta. Mathemat. M. Hohlfeld.
Lateinisch, mit Sexta. Colleg. VI. M. Brenner.
Geographie, mit Sexta. Adiunct. M. Mühlmann.

An diese öffentlichen Prüfungen, womit die Donnerstags am 23. April zu haltende Censur, Versetzung und Entlassung in unmittelbare Verbindung tritt, wird sich darauf diejenige Feierlichkeit anschließen, womit der Cursus des halben Jahres beendiget zu werden pflegt, nemlich

der Valedictionsactus,

welcher Freitags am 24. April früh von 9 Uhr an Statt haben soll. Es werden nemlich folgende fünf der jetzt zur Universität abgehenden zeitherigen Zöglinge durch öffentliche Vorträge in lateinischer, deutscher, französischer und hebräischer Sprache ihren Abgang von der Schule feiern:

Ernst Moritz Grützmann, aus Zittau,
Carl Heinrich Pusch, aus Leipzig,
Wilhelm Otto Bielitz, aus Leipzig,
Hermann Richard Fritsche, aus Leipzig,
Carl Albrecht Wolf, aus Treuen.

Denselben wird im Namen der zurückbleibenden Schüler in einem deutschen Gedicht ein Lebewohl nachrufen:

Rudolph Gustav Weyand, aus Leipzig.

Hierauf wird der Actus auf die gewöhnliche Weise und mit einem passenden Gesange des Chores beschlossen werden.

Zu beiden Schulfeierlichkeiten, sowohl zu den von Montag dem 20. bis Mittwoch den 22. April Statt findenden Prüfungen, als zu dem Freitags am 24. April Vormittags um 9 Uhr anzustellenden Valedictionsactus haben wir die Ehre, die verehrungswürdigen Herren Patrone und Ephoren der Schule, die Aeltern und Angehörigen der uns anvertrauten Jugend, alle Vorgesetzte, Gönner und Beschützer des gelehrten Unterrichtswesens und überhaupt alle Freunde öffentlicher Bildungsanstalten hiermit ehrerbietigst und ergebenst einzuladen. Ihre zahlreiche Gegenwart wird Lehrer und Lernende aufs neue zu treuer und unermüdeter Erfüllung ihres Berufes ermuntern und beleben.

